

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES
Google Livres

50
HARIRII BAZRENSIS

**NARRATIONUM, CONSESSUM NOMINE
CELEBRATARUM,**

DECAS.

EX ARABUM SERMONE IN LATINUM TRANSTULIT

EDIDITQUE

CAROLUS RUDOLPHUS SAMUEL PEIPER,

DIACONUS ECCLESIAE EVANGELICAE CERVIMONTANÆ.

EDITIO ALTERA, EMENDATA ET SUBJUNCTIS NOTIS AUCTA.

**L I P S I A E ,
APUD FRIDERICUM FLEISCHER.**

MDCCCXXXV.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS, SUMME VENERANDIS,°

DOCTRINA CLARISSIMIS:

HENRICO MIDDELDORPF,

PHILOSOPHÆ ET THEOLOGÆ DOCTORI, HUIUSQUE ET LINGUARUM ORIENTALIUM
IN UNIVERSITATE VIADRINA PROFESSORI P. O., REGIS BORUSSORUM
A CONSILIIS ECCLESIASTICIS, ETC.;

GUILIELMO HAVENSTEIN,

PASTORI PAROCHiarum KOISCHWITZ ET GREIBNIG, REGIS BORUSSORUM IN
REGIMINE LIGNICENSI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS ET SCHOLASTICIS,
CERVIMONTANÆ QUONDAM ECCLESIE EGREGIO DECORI, ETC.;

ET

MAXIMILIANO HABICHT,

PHILOSOPHÆ DOCTORI, LITTERARUM ORIENTALIUM IN UNIVERSITATE VIADRINA
PROFESSORI P. E., SOCIETATIBUSQUE ASIATICIS, PARIENSI ET LONDINENSI,
QUI LITTERARUM CUM EIS COMMERCIUM COLAT, ADSRIPTO, ETC.;

PRAECEPTORIBUS, FAUTORIBUS, AMICIS,

HAEC DE LAURO SEMPER VIRENTE POETAE ARABIS

FOLIA

SACRARE VOLUIT

EDITOR.

PRÆFATIO ET INDEX.

In voluminis hujus editione prima, anno MDCCCXXXI curata, nullas dederam sub textu notas, deconsiderabaturque ideo in hac Haririi concessuum versionis parte nonnihil eorum, quae titulus serius toti operi praefixus promittit. Denique igitur hanc Decadem prelo subjiciendam tradidi, non multis quidem, sed iis tamen, quae mihi maxime necessariae videbantur, notis instructam; simul ea occasione utens ad recognoscendam et emendandam versionem ipsam. Jam enim anno MDCCCXX, multo ante Sacyanam Haririi editionem, has Makamas transtuleram, ex uno exemplarium editionis Caussini de Percivalio, publicatae anno MDCCCXVIII. Quibus in vertendis cum secutus essem variantes dicti libri lectiones, et, carentibus ut plurimum vocalibus, has supplevissem lexicorum et connexus, qui videbatur, arbitrio, postea vero, Sacyano libro publici juris facto et collato, non omnia mutanda mutassem; puto, quod jam tum animo habebam, alio tempore edere animadversionum explicantium et castigantium fasciculum; e rei natura versio mea locis nonnullis a textu Sacyano et explicatione in scholiis ei adjecta discedebat, facillimumque erat negotium, eam reprehendere, si quis priorem Haririi editionem non respiceret planeo contemneret. Scopus mansit idem, scilicet, ut non imitatione artificiorum, Haririi sermonem ornantium, plausum conciliarem vel proprio ingenio, vel Arabi, vel ei, quae eam instituisssem, linguae, sed ut dictorum illius sensum explicarem, adjuvaremque eos, quibus studiorum causa libri arabici legendi sunt. Concessus autem Zaädensis, tricesimus septimus, qui in editione prima falso erat positus post Nomadicum, vicesimum sextum, in hac nova debitum ei locum post Malatiensem, tricesimum sextum, obtinuit. Teneas jam nominis, quod singuli gerunt, numeri, sub quo in libris arabicis occurrunt, et paginae, qua in hujus novae editionis libris incipiunt, expositionem.

Cancrinus, scilicet concessus, in libris arabicis XVII, ita dictus est, quod ducentis verbis seriem pro-
verbiorum continet ordine recto itidemque verso legendam.

Singarensis, XVIII, pag. 5, comparisonem vasie vitrei et delatoris nectit cum narratione de vicino male.

Caragensis, XXV, p. 11, monstrat Abu Seidum nudum, vestes mendicantem, enumerantemque septem necessitates hiemis.

Nomadicus, arabice Badavija, XXVII, p. 15, describit vitam morisque Beduinorum, sive Nomadum, dum narratur, uti Hareto, quaerenti amissam camelam, Abu Seidus furatus sit equum.

Teflisensis, XXXIII, p. 19, pingit Abu Seidum distortum ore, mutataeque in deterius fortunae adversitates.

Schidensis, XXXIV, p. 22, exponens, ut Abu Seidus Hareto ingenuum pro servo vendiderit, alludensque ad Josephi Jacobitae historiam, commentatur sententias, omne nimis vile esse carum, frustra que moneri cupiditate coecos.

Schirasensis, XXXV, p. 28, est allegorica. Abu Seidus loquitur de occiais, intendens vini utres, et de filia virgine elocanda, intendens vinum.

Malatiensis, XXXVI, p. 31, specimina logogriphorum, sive aenigmatum verbalium, exhibet, quibus proponuntur duo verba permutanda cum aliis duobus respondentibus, quae conjuncta unum efficiant vocabulum significans.

Zaëndensis, XXXVII, p. 37, Abu Seidum ostendit accusantem filium suum inobedientiae, sive quomodo concilianda sint praecepta honoris cum paupertatis protervia

Taniticus, XLI, p. 41, tradit orationem de emendanda vita, nec non invitationem ad bibendam vinum, ab Abu Seido profectas, qui concionatoris partes sustinuerit, misericordiamque inculcaverit, dum ipsius filius ageret mendicum.

His paucis concessus, qui annexo volumine extant, sufficienter censeo designatos. Philarabem autem lectorem Deo O. M. commendo, Dominum Orientis et Occidentis etiam atque etiam rogam, ut cum votorum omnium salubrium faciat compotem, ab omni malo servet integrum! —

C a n c r i n u s.

Narravit Haret Filius Hammami. Loco quodam, quo ex itinere deverteram, deprehendi, oculos tollens, juvenes quosdam physiognomia ingeniosorum praeditos et stellarum noctis pulchritudine, occupatos in vehementissima disputatione et praeter modum flammante controversia; quos ut adirem impulit cupido societatis et opinata fructus concertationis decerpendi jucunditas. Cum autem adhaesissem coetui eorum, istarumque margaritarum memet inseruissem filo, ac interrogantibus: tunc probatus es in praeliorum fervore et inter alias tuam quoque demittere soles situlam? neutiquam — respondi —, e belli spectatoribus sum, filiis confossionis et percussionis non annumeror, atque illi, desistentes me ultra sciscitari, aenigmatibus proponendis fluminis instar iterum sese immisissent, en! in medio circuli et corona sodalitii senex, quem extenuaverant curae ventusque emaciaverat venenatus, ut adeo calamo evasisset siccior et forlice macrior. At quoties respondebat, miranda prodebat, et Sachbani¹⁾ memoriam obfuscabat, quando disserebat; laetitia perfundebar ob artem, qua praeditus erat, scopum percutiendi, quaque totam catervam supereminebat, excellentiam. Nec destitit omnia obscura exclarare, omnique collineare jactu, donec vacuae erant pharetrae et quaestio simul ac responsio quiescebat. Videns igitur homines alimentis carere et ad jejunium cogi, disputationem denuo instituendam implicitis verbis innuit, eamque ut aggrederentur admoniti cum regessissent, euge! quis vero materiam porrigit? num scitis, inquit, sermonem, cujus terra est coelum et aurora vespera, duobus textum jugis, duobus splendentem coloribus, sonantem in duas plagas, duabusque

¹⁾ Cfr. Cons. V. De se ipso Sachban dixisse fertur: Prima modo fecerim verba, Jamanenses intelligunt, me eorum esse oratorem.

apparentem faciebus; qui, quando oritur ab Oriente, satis lucet, et, quando exsurgit ab Occidente, mirum in modum fulget? Dixit, et multitudo, quasi taciturnitas ei immissa, aut divinitus ut silerent mandatum esset ²⁾, nullus eorum locutus, nullius lingua verbum effata est. Hinc, quoniam eos conspiciebat mutos ut pecora et tacentes ut statuas, jam, inquit, longinquum vobis praefinio terminum prolongoque morae funem; tum vero hic locus sit congregationis et diremptionis statio; et, si ingenia vestra liberalia se praeberint, laudabimus; sin ignitabulum frustra percussum fuerit, ipsi ignem eliciemus. Responderunt: per Deum! in talis maris profundo nobis non est, ubi natemus, nec pascuum nobis in ejus littore; relaxa cogitationes nostras a molestiis, proficiens fac donum paratam numerando pecuniam, et assume nos fratres, qui saliant, quando salis, et praemium solvant, quando postulas. Ad haec aliquantisper vultum demisit, dein vero, dictis, inquit, vestris audiens sum et obsequens: theses ergo meas excipite, et tenete, quae aliis tradere possitis: Homo beneficiis mancipatur; multum benefacere est generosi; nota ingenui colligere laudes; gratiam promereri idem est, ac felicitatis arborem sibi fructuosam facere; indicia liberalitatis praenuntia laetitiae; adhibere comitatem gignit amicitiam; nexus amoris flagitat sinceritatem; veritas sermonis ornat linguam; sermo disertus fascinus cordium; rete voluptatis perniciēs animarum; taedium creaturarum mali mores; prava cupido fugat pietatem; inhaerere prudentiae habena salutis; vitiorum exagitatio vitium pessimum; perstringere lapsus labefactat amicitias; sincera mens donum nobilitat ³⁾; salutiferum facere donum pretium precum ⁴⁾; difficultates suscipere allevat sequentia ⁵⁾; spes auxilii facilia reddit officia; praestantia principis amplitudo pectoris ⁶⁾; amicorum fidorum decus calumniatorum odium ⁷⁾; praemium laudationum collatio donorum; praemium donorum concessio votorum; in errorem ducit egredi fines; transgredi finem hebetat aciem; mores negligere frustranea facit pietatis officia; debitorum se oblitum simulare producit inobedientiam; evitare suspensiones dignitates auget; dignitates efferuntur adeundis periculis; magnificae existimationes ope factorum; facta gloriosa exiguum sperando; longa cogitatione emedullatur sapientia; summum

²⁾ A. v. aut verificatum (impletum) esset super eis verbum silentii. ³⁾ Vel: optima est doni pars. ⁴⁾ D.S.Scholl. explicat: donum servare a reprobatione. ⁵⁾ Vel: facilitat remunerationem. ⁶⁾ Potest tamen etiam verti: amplitudo regni. ⁷⁾ Vox, quam verti amicorum fidorum, notat quoque pastores, principes; odium explicari potest subjective et objective; hinc variae dari possunt commutatio hujus interpretationes.

dominationis lenire ⁹⁾ imperium; contumacia amittuntur expetita ⁹⁾; in terroribus de excellentia certant viri; animisque de excellentia contendentibus differentiae dignitatum; affingente legato mendacia administratio deficit; rebus collabentibus ingruunt terrores; profert patientia victoriae fructum; dignissimus laude industriosissimus quisque ¹⁰⁾; observantia tua imponitur amico te curandi officium; amicitiae servorum visitatione dominorum ¹¹⁾; ornamentum morum praestare fidem; cognoscuntur fratres lenienda tristitia; propelluntur inimici defendentibus amicis; prudentes probantur societate stultorum; respicere finem cavet exitia; evitare dedecora extendit famam; turpis injustitia dispellit fidem; indoles ingenuorum in arcanis probatur. Tum perrexit: haec verba ducenta eruditionem et adhortationem continent; quique ea isto ordine deduxerit, ille nec contra disputantem nec dissentientem habebit; at qui ordinem cupit invertere et in calce ea redire facere*),

⁹⁾ *Sententiis istis retrogrado ordine legendis partim idem, partim alius sensus, semper commodus, prodit. Non in iucundum fuerit, verba arabica inversa quid latine expriment, appositum videre. Habeas itaque. Consilia sunt penes ingenuos; fidei natura praestans dispellit injustitiam; turpis fama extendit dedecus; metus periculorum cavet malos exitus; cernuntur stulti societate prudentium; amici probantur propulsione inimicorum; lenitur tristitia allevantibus eam fratribus; fides cognoscitur dum boni mores servantur; servorum decus visitatione dominorum ¹²⁾; sincerum pacta servandi studium sufficit pro circumspeditione; oportet laborem expectatae attemperare laudi; victoriam mereri fructus est patientiae; terroribus innotescunt rerum status; deficiente prudente administratione inutilis fit legatus; crescentibus pretiis apparent differentiae animorum; quando de excellentia contendunt viri, ipsi terrores de excellentia videntur contendere; necessitate urgente irrita est contumacia; cum dominatu conjuncta castigatio regiminis; summum sapientiae enucleare cogitationes; multum sperare prohibet ab agendo; magna dignitas comparatur officii praestantis ¹³⁾; honor animorum in adeundis periculis; elatio gradus augeat ¹⁴⁾ suspiciones; evitare inobsequentiam gignit officiorum executionem; pia officia oblivisci perdit mores; migrare fines hebetat aciem; transgredi extremum idem est, ac penitus sese in errorem immergere; adducit petita largitio munerum; merces munerum est profusio laudum; praemium delatorum odium amicorum; decus pectoris amplitudo ejus ¹⁵⁾; commodus status praestans efficit auxilium; certa notitia acquirendorum praemiorum officia leviora efficit; rogatio pretium est beneficii; munera proficientia facere prodit bonam mentem; sincera amicitia lapsus abolet ¹⁶⁾; exagitare male facta pessimum est flagitium; quaerere salutem est habena prudentiae; persistere abstinenterem removet cupidinem; mali mores dedecorant homines; taedium animorum perniciem affert caritati; rete cordium est incantatio loquelas; diserta lingua ornamentum narrationum; sincera adhortatio postulat amicitiam; vinculum amicitiae flagitat comitatem; hilaritate uti est signum liberalitatis; initium felicitatis promereri gratiam; acquirere laudes ingenuo, quod (avaro) recondere divitias; mos prompti ¹⁷⁾ egregia perpetrare; multa et perfecta beneficia praestare ipsum hominis beneficium est.*

⁹⁾ Vel: castigare, purum et integrum facere. ⁹⁾ Vel: litigando amittuntur necessaria. ¹⁰⁾ Vel: meretur quisque laudem prouti laborat. ¹¹⁾ Vel: amicitiae dominorum visitatione servorum. E sententia Iban'leakti haec explicanda sunt e more magnatum Orientalium, servos suos mittendi ad sui similes, ut eos salutent et de habitu interrogent, quae res ad amorem inter propinquos et remotos firmandum faciat. ¹²⁾ D. S. Scholl. dicunt, sic Arabes compellere solere, ubi scire velint, si ne quis vere is, quem cum esse putant. ¹³⁾ Vel re versa. ¹⁴⁾ A. v. consensu cum divinis decretis. Non minus recte explicatur ut supra: ope factorum. ¹⁵⁾ Vel: aufert. ¹⁶⁾ Vel: liberalitas, simplicitas, ejus. ¹⁷⁾ Vel: damnat, rejicit. ¹⁸⁾ Vel: natura, character, generosi.

Arcana, dicat, sunt penes ingenuos, et praestans fidei natura injustitiam dispellit, malaque fama dispergit dedecus. Atque hoc tractu ea retrahere continuet, nec vereatur, usque dum attigerit articulum extremum margaritarumque ultimam: et beneficia multa et plena praestare ipsum hominis beneficium est. Dixit relator: Postquam itaque sermonem suum elegantem non minus ac utilem in medium protulerat, et experientia edocti eramus, quantum alia prae alia excellat oratio, praestantiam autem in manu Dei esse, qui eam tribuat cuicunque velit, quisque nostrum se suspendit ab ejus lacinia, ultroque opum suarum particulam ei largitus est. Meum vero donum accipere noluit, non paupero, regerens, discipulos meos. Tum ego: esto Abu Seid, quamquam forma tua externa concidit et desedit genarum aqua. Et ille, ego is sane, utut extenuatus et exsiccatus et extremo marcore confectus sum. Ibi eum reprehendere coepi, quod modo versus Orientem, modo versus Occidentem, vagabundus tenderet. Sed dixit: non est vis, nec potestas, nisi in Deo! et: Dei sumus et ad Deum revertimur! tum dolente corde declamavit:

Fortuna gladium suum contra me strinxit aciemque acuit, ut me terreret;
Somnum extraxit palpebris meis succensens et fluere fecit oculorum venam,
Et circumegit me in climatibus, ut adeo peragrarem Orientem secaremque Occidentem,
Et in omni tractu quotidie mihi sit ortus et occasus;
Sic peregrinantis persona mutata est, scopusque ejus sunt longinqua.

His effatis abiit trahens axillas jactansque manus. Nos vero modo oculis eum persequeremur, modo ei incidere contendebamus. Tum vero non morati sumus, quominus solveremus considendi nexus, et dispergeremur ut deliciae Sabaeae¹⁹⁾.

¹⁹⁾ Dispergi ut deliciae Sabaeae significat: plane dispergi. Sabaei enim, postquam amplissima fortuna gavisi erant, ruptis aggeribus hac privati et ex Arabia felice in varias regiones pulsi sunt.

S i n g a r e n s i s.

Narravit Haret Fil. Hammami. Proficiscebar aliquando e Syria, petens urbem prophetae, comitibus filiis Numeir, sociis omni bono et commodo instructis, et Abu Seido, retinaculo festinantis, solatio orbi, miraculo temporis, qui ob eloquentiam digitis monstrabatur. Et contigit, cum pervenissemus Singaram¹⁾, ut mercatorum aliquis convivium institueret nuptiale, ad quos sine discrimine arcesseret omnes, urbanos et deserticolas, ita ut vocatio ejus omnes in universum invitans ad nostram quoque perveniret Caravanam. Annuimus itaque invitatori et accessimus ad epulas, ubi hospes unius manus et ambarum cibos proponebat, qui jucunditatem afferrent ori et placerent oculis. Postremo vitreum adtulit, quasi ex aëre congelatum, aut conflatum ex atomis volitantibus, aut ex aetheris²⁾ luce fusum, aut quasi margaritae detracta esset cortex, copia impletum jucunda, diffuso litum liquore, latice Tasnimi³⁾ inspersum, pulcherrimum non magis aspectum praebens, quam jucundissimum exhalans odorem. Quo praesente cum incenderentur cupidines et experiundi appetitus, jamque eo esset perventum⁴⁾, ut impetus fierent in venationem ejus, et in diripiendo audiretur exhortatio, exsiluit Abu Seid furentis instar, et aufugit quantum a pisce se separat lacerta Lybica⁵⁾. Nos continuo enixe rogavimus ut rediret, nec esset similis Kudaro in tribu Thamud⁶⁾; ille vero, per resuscitantem e lapidibus mortuos! non redibo, inquit, nisi ablatum fuerit vitreum. Quare cum non fieri posset, ut ei non gratificaremur ejusque jurejurandum acceptum haberemus,

¹⁾ Urbs ad occidentalem Tigridis ripam. ²⁾ D. S. Schell. explicant: ex deserti luce, quod in deserto nihil lucem impedit. ³⁾ Tasnim fons est paradisi; intendit autem aquam rosarum. ⁴⁾ A. v. ut equites immitterentur in gregem ejus, et clamaretur in diripiendo: ad taliones! ⁵⁾ Quia vivit locis arida. ⁶⁾ Kudar Thamudaeus cameli prophetae Zalechi pedes incidit, quo facto Deus tribum ejus perdidit; signaturque nomine ejus is, qui aliis auctor est malorum.

abstulimus illud, mentibus licet cum eo avolantibus largeque fluentibus lacrymis. Reversus igitur ad accubitus locum, non amplius sollicitus ob perjurium, interrogatusque causam, cur surrexisset poculumque amandari postulasset, vitreum, inquit, delatoris partes sustinet, et ex multis inde annis juravi, nunquam fore, ut unus idemque locus me et delatorem simul includat. Quid, reposuimus, tam grave sacramentum, quidve tam vehementem execrationem tibi elicuit? Respondit: vicinum habebam, qui, blandiente lingua, corde favebat scorpionem, et, dum sermo fragranti similis melli sitim sedabat, intus gerebat venenum letale ⁷⁾. Cum hoc ut confabularer adduxit vicinitas, et grata dentium strictio decepit, ut inirem societatem; viriditas fimeti ejus allicuit, ut eo uterer compotore, et fallax exterius impulit, ut frui vellem ejus fragrantia ⁸⁾. Sed cum familiaritem contraxissem, eum aestumans vicinum *ἐμφορῶνον*, apparuit violentus vultus, cumque me ei associavissem ut amico familiari, prodiit serpens fraudulentus; benigne tractabam ⁹⁾ nescius eum, si propius adspiciatur, ex illis esse, quorum gaudetur amissione, et affixus haerebam ignorans, eum, si dentes inspiciantur, talem inveniri, qui cum fugerit exultatur. Habebam autem puellam tam perfectae pulchritudinis, ut nulla cum ea certaret. Quando velum deponebat, sol et luna erubescabant ignibusque ustulabantur corda; quando labia diducebat ridendo, contemnebantur uniones et gratis divendebatur corallum; adspiciens ¹⁰⁾ excitabat curas et fascini Babylonii veritatem confirmabat; loquens vinciebat cor intelligentis et de montibus excelsis descendere faciebat rupicapras; legens sanabat laesum et vitam reddebat sepulto. Quin imaginabar in gutture ejus psalteria Davidis; canenti enim sese submittebat Mabad ¹¹⁾ et apage! vocabatur Ishako ¹²⁾, apage! Psalterium quando pulsabat, Sunām vilescebat, postquam coetui suo princeps et fidejussor gaudiorum visus erat; saltans cidares a capitibus defluere faciebat, et haud secus exhilarabat, ac guttae saltantes in poculis. Nimirum eam possidens desepi rubros camelos ornabamque consuetudine ejus collum gaudiorum. Quo factum, ut vultum ejus a sole et luna defenderem, et memoriam abigerem

⁷⁾ Proprie: maceratum, conditum. ⁸⁾ D. S. Scholl. habent: ut clanculum in aurem ei loquerer, quod dum fit, aliorum odorem olfacimus. ⁹⁾ D. S. Scholl. comedebam cum eo, quasi proprie interpretandum sit, comedebam cum eo panem et cal. ¹⁰⁾ Phrasis ambigua; potest etiam explicari: vocem extollens ciebat lusciniās. ¹¹⁾ Celebratissimus cantor, praecentor Medinensium, ortus a patre nigro et matre candida, vixit initio Ommelijadarum. ¹²⁾ Vir doctrina non minus, quam cantu, excellens tempore Raschidi. ¹³⁾ Sunām, artis musicae peritissimus, etiam in aula claruit Raschidi.

e viis confabulantium noctu; sollicitus eram, ne ventus asportaret odorem formositatis, aut Satich¹⁴⁾ eam hariolaretur, aut fulgur eam deferret illustrans. At propter miseram sortem meam et infaustum molestumque horoscopum accidit, ut crapula vetere vino nata impulsus, vicino delationi dedito eam describerem. Cum sagitta jam tetigisset scopum, tum demum rediit intellectus, et persensi exitiale periculum et certam perditionem ejus, quod cribro illi mandatum erat; quamvis equidem pactus eram, ut enunciata reticeret, et quod enarraveram custodiret ut secretum, etiamsi quando eum ad iram provocassem, et ille sese arcana, quasi in thesauro reposita, servare, ut avarus recondit denarium, et vela (secretorum) nequaquam, etiamsi in ignem immitteretur, dilacerare praetenderat. Enim vero, praetermisso posthac non nisi die uno aut dierum pari, urbis principi praefectoque gubernanti visum est, regis sui portam petere, ut exercitum demandatum lustrandum offerret nubequē donorum irrigaretur; qua mente cum munus secum sumere vellet, quod illius animo conveniret, ut coram secreto ejus concilio offerret, pretia dedit suis exploratoribus, largeque donavit grata, quicumque ipsum voti compotem faceret. Ibi vicinus meus perfidus arrepsit ad dona ejus; prae fracto animo induens ignominiae lorica, nec curans reprehensorem, accessit ad praefectum, avidus, indicavitque quod ei secretum tradideram. Et subito familiares illius affluerunt et ministri ejus in me irruerunt; et impellebat me, ut eum, mihi praeferens, margarita mea pretiosa honorarem, pretium quidem pro arbitrio statuens; tantaque me oppressit tristitia, quanta Pharaonem et copias ejus aquarum moles. Non desinebam propugnare, sed in cassum cedebat propugnatio, et deprecari, sed frustra erat deprecatio; nam quoties meam resistantiam crescere sentiebat, et augeri effugiendi cupiditatem, criminis me insimulabat, in flammās erumpebat et cum stridore dentes in me collidebat. Nihilo minus tamen lunam meam relinquere mihi ipse non largiebar, et cor meum separare a pectore meo, donec minae nanciscebantur eventum et increpatio desinebat in verbera; tunc metus mortis persuasit, ut oculi mei nigredinem permutarem flavedine numeratae pecuniae, delatore quidem praemium praeter delicti conscientiam et dedecus ferente nullum. Ego vero ab eo inde tempore Deo fidem dedi, me in posterum nunquam velle conversari cum delatore; cujus cum natura

¹⁴⁾ Hariolus e gente Discibitarum, tempore Sāl Arim; quamvis nec sedere, nec stare posset, annos vixisse dicitur trecentos.

propria sit vitreo, delationis imagini, sacramenti mei fluctus ad illud quoque per-
tingit; et haec est causa, cur dextram meam illuc non extendam.

Vos itaque, re exposita, ne reprehendite, quod per me in diripiendis pastillis dulciariis
impediti sitis.

Patet excusatio mei facinoris; et sane farciam rupturam, quocumque possum vetere
et novo,

Quamquam, quod vobis delibavi delicati sermonis,

Judicio sapientis, bellaria omnia suavitate longe superat.

Dixit Haret Fil. Hammami. Non solum ratam habebamus hanc excusationem,
sed etiam laeti oscula infigebamus malis ejus, quid mirum? regerentes, delatio et
optimum olim mortalium percussit, ut adeo de lignatrice dictum sit, quod dictum est ¹⁵⁾.
Interrogantibus deinde nobis, quid egerit vicinus delator et amicus malefidus, postquam
delationis ei plumasset sagittam et vincula amicitiae scidisset; ille, resumsit, sese
submittere et humiliare, deprecarique, per quos id commodè fieri poterat; ego
contra obstinare, eum nunquam amico vultu ad familiaritatem reducere, hester-
numque revocare diem; et sic, haud nutante eum arcendi proposito, nihil praeter
repulsam ferebat. Attamen non male habebat eum increpatio, nec erubescerat ob
perfricatam frontem, sed urgebat reconciliationis studia, novisque identidem in-
stabat petitionibus, nec liberavit me quidquam a pertinacia ejus taedium afferente,
nec illi voti consequendi spem praecidit, nisi quidam ex pectore vulnerato ¹⁶⁾
animoque saucio versiculi. His inerat, quod diabolum ejus averruncaret et in
domicilio suo carceraret; his palam factis laetitiam dimisit nunquam conciliandam,
clamans vae! o exitium! desperavitque resuscitatum iri amicitiam sepultam, ut
infideles opinantur de mortuis. Precibus ergo eum adorti sumus, ut versiculos
recitaret et odorem eorum nos olfacere permetteret; et annuit, hominem quidem
properantem ¹⁷⁾ creatum esse adjiciens. Tum nullo contractus metu, nec flexus
pudore, ita cecinit:

Erat mihi compotor, cui merum propinabam sincerumque amorem, amicum eum suspi-
cans sollicitum;

Tum osoris instar me ab eo separavi, nam inventus est sanies fervens

¹⁵⁾ Scil. a Mohammede. ¹⁶⁾ Vel: vindictae cupido. ¹⁷⁾ Ludit ambiguo. Homo scilicet fortis terra,
vel luto, creatus; vox autem hic pro luto adhibita notat etiam properantiam.

Antequam eum tentaveram, habebam eum socium fidelem, sed spectatus est exenteratus, vituperandus;

Confabulatorem eum elegeram, sed delicto ejus pectus meum vulneratum est.

Quem opinabar adiutorem misericordemque, illum persensi execrandum et lapidandum;

Quem imaginabar officiosum, fundendo manifestatus est rebellis et vilis;

Quem ex physiognomia judicabam zephyros spiraturum, nonnisi ventum flare voluit venenatum.

Ipsa, nullo a me affectus damno, morsu me laesit, quem desperat medicus;

Res ejus, cum separaremur, inconcussa stetit, aegrotans ego corpus abstuli.

Non fuit gratus¹⁸⁾, abundans fructibus, sed terrens, adversarius.

Inde, cum eum expertus essem, dixi, utinam plane non fuisset, nedum ut mihi esset compotor!

In odium mihi adduxit ipsam auroram, nam et matutinum tempus reperitur delator;

Et noctem me induxit ut amem, tenebrarum enim nigror speculator est taciturnus.

Absit, qui defert! etiamsi sinceram pollicetur amicitiam, delictum et vituperii plenum est quodcumque agat.

Dixit; et hospes, audito carmine et rhythmis, cum pulchram aestimaret laudationem et vituperationem, in venerationis suae pulvinar eum promovens, principio lectuli sui honorifici assidere jussit, allatisque decem patinis argenteis, sacchari et mellis dulcedine repletis, haud idem, inquit, statuendum est in socios inferni et paradisi, nec ex aequo comparatur innoxius cum malefico. Haec certe vasa, quod secretorum adinet retinentiam, piorum loco haberi debent. Quare ne ea ablegari jubeas, nec Hudum addas Aditis¹⁹⁾! Simul mandavit servo, ut in mansionem ejus portarentur, quo pro lubitu iis uteretur. Hic Abu Seid ad nos accedens, nunc, dixit, legite Suratam victoriae²⁰⁾, et vulnus laetamini consolidatum! Jam deus replevit orbitatem vestram et pulchre rigata exhibuit cibaria, dulcedinumque sub umbra vos congregavit, (ut veritas dicti appareat), fieri potest, ut vos taedeat alicujus rei, sed prosit vobis. Cum autem in eo esset ut proficisceretur, ut et patinae sibi donarentur rogatum ivit, et convivatori, ad signa, dixit, comitatis pertinet, vas una largitum esse cum muneribus. Reposuit: utrumque tibi habe et insuper servum; mitte verba et abi in pace. Hoc audiens responsum

¹⁸⁾ A. v. placens, admirationem excitans. ¹⁹⁾ Ad notus est propheta ad corrigendos Aditas missus.

²⁰⁾ Caput Korani XLVIII hanc habet inscriptionem.

Abu Seid prosiluit, gratisque actis, quales hortus agit nubibus, nos in tentorium suum duxit, ubi, potestatem in dulcedines concessurus, manu versabat vasa suisque dispertiebatur. Dein, nescio, inquit, utrum accusem delatorem, an gratias ei habeam, vel, utrum oblivisci studeam facinus ejus, an meminerim. Nam quamvis crimen commisit ²¹⁾ et pessimam exercuit delationem, tamen e nube ejus larga ista fluxit pluvia et gladio ejus ista mihi parta est praeda. Jam vero animus fert redire ad catulos meos et, contentum hoc lucro, nec me ipsum ultra, nec camelos fatigare. Quamobrem valedico vobis, amicitiae foedus intemeratum servaturus, vosque optimo custodi commendatos volo. Tum ascenso jumento, viam relegit, ad familiam suam revertens, et, jactanter progrediente camela, discedenteque amico aspectu, reliquit nos ut symposium, cui deest dominus, aut noctem, cujus occidit luna.

²¹⁾ A. v. praecedere fecit, praemisit.

Caragensis.

Narravit Haret Hammamita. Hiemavi in Carag¹⁾ exacturus debitum et perfecturus negotium, ac sensi tetricae tempestatis et frigidi venti hiemalis illic saevientis, quod me ad extremum fatigavit²⁾ detinuitque ad ignem. Nec reliqui latibulum meum, nec desivi nutrire flammam, nisi ad necessarium officium compulsus aut ob preces publicas observandas. Ita necessitate coactus sum die, cujus aether admodum frigidus, cujusque nubes valde austera erat, egredi e nido meo, cura quadam me invadente. Et ecce! senex nudus cutem, prae se ferens miseriam, caput circumvolutus trita vitta et cinctus veste grossa striata, quam a postica parte per crura transmissam ventri applicuerat, in medio coetus, cujus margines erant densae. Recitavit autem sine verecundia:

Non testabitur vobis paupertatem meam veracior testis, quam nuditas mea tempore frigoris;
Concludite autem ex eo, quod manifestum est calamitatis meae, ad internum statum et conditionem occultam,

Et veremini conversionem scalae fortunae. Nam ego fui clarus dignitate;
Habitabam in abundantia et omnia cogente potestate; proderat aurum meum; hastae meae fuscae exitio erant;

Lamentabantur camelorum agmina, cum mane proficiscerer³⁾. Sed fortuna strinxit gladios fraudis,

Malorum pulverulentorum impetum renovavit, nec desiit vellere et extenuare,
Donec domus mea deleta erat, et copia mea desederat, perieratque auctoritas⁴⁾ mea inter mortales et fama.

¹⁾ Carag, oppidum inter Adarbiganam et Hamadanam, tertio demum post Muhammedem saeculo inclauit, huc se conferente gente Agallitarum, arcesque hic extruente. ²⁾ Vel: quod mihi notam fecit vim, molestiam, afflictionis. ³⁾ D. S. Scholl.: die, ubi hospitio excipiebam, quod scilicet multi cameli mactarentur. ⁴⁾ Proprie: scientia. D. S. Scholl.: versus, eruditio.

Et factus sum macilentus a calamitate et molestia, nudus quoad tergum, derasus corticem. Fuso similis sum nuditate; non est mihi fomentum in extrema bruma⁵⁾
Praeter solis lucem et calorem carbonis. An vero vir liberalis, vir amplii pallii,
Me tegere velit nova aut vetusta veste, faciem dei quaerens, non gratias meas?

Tum dixit. O possessores opulentiae, jactanter incedentes vestibus pelliceis!
Qui accepit bona, eroget, et qui potest adjuvare, adjuvet! Nam mundus est deceptor et fortuna mendax, potestas autem fallit ut visitatio spectri, et occasio fugit ut nubes aestiva. Equidem, novit deus, per diuturnum tempus hiemi obviam ivi cum iis, quae ei tolerandae sufficerent⁶⁾, necessitatesque ejus, antequam adveniret, praeparavi. Nunc vero, o domini mei! brachium mihi est pulvinar, cutis vestis mea, et vola manus loco scutellae. Prudens exemplum ab hoc statu meo sumito! Sane festinat mutatio fortunae! Felix ille, qui, se moneri passus eo, quod accidit aliis, praeparavit sese ad iter suum! Dicentibus autem nobis, produxisti tuam doctrinam, nunc revela nobis gentem tuam, respondit: pereat qui gloriatur de ossibus putribus; gloria nonnisi in pietate est et doctrina selecta; tum cecinit:

Per vitam tuam! homo tantum est filius diei praesentis, quo statu ei illuxit, non pertinet ad hesternum;

Nec est gloria (gloria) de osse putrido, sed gloria ejus, qui suam sua persona gloriam quaerit.

Posthaec resedit incurvatus, et in se contractus tremensque dixit, o Deus, cujus multa sunt beneficia, jussistisque te rogare! benignus sis Mohammedi ejusque familiae, mihi autem auxilio sis contra frigus et terrores ejus, ac destines liberalem, qui me donet ob paupertatem, etiamsi nulla alia re, quam detonsae lanae manipulo!

Perrexerat relator: et cum manifestaret animum Azamiticum⁷⁾ et eloquentiam Azmaiticam, oculorum meorum stricturae eum explorarunt, intuitusque mei cata-

⁵⁾ A. v. in Zinni et Zinnabri, i. e. primis diebus ex eorum numero, qui dicuntur dies senis, scil. hiemis, quibus accrescere fertur frigus, quorumque alii quinque, alii septem statuunt. Scharischi dicit: sunt quatuor fine Februarii, et tres initio Martii. Cfr. Castellum. ⁶⁾ A. v. cum Cāfis ejus. Id vero est cum rebus ad hiemis noxam avertendam necessariis, quarum nomina in initio habent litteram Cāf. Hariri hic quoque ambiguo ludere videtur; susserimus enim, omisum esse per licentiam poëticam Tesohdid, haec vox etiam notabit: quae cohibent, coercēt. ⁷⁾ Azām fuit cubicularius Noomani, fil. Munsari, non patrum nobilitate, sed sua ipsius virtute in locum excelsum erectus.

pulta eum lapidavit; quo facto cognovi, eum esse Abu Seidum, nuditatemque ejus dolum venatorium. Ipse autem perspiciens, se a me agnitum esse, et verens, ne revelarem, dixit: juro per noctem et lunam, per stellas et flores! hodie me non teget⁹⁾, nisi cujus bonum est ingenium et facies humanitatis aquâ imbuta⁹⁾. Quibus verbis quod intendebat cum bene intelligerem, etsi multitudo nesciebat, quid sibi vellet, nec non male affectus, qui eum invaserat, tremore et cutis horrore, apprehendi vestem pelliceam, quae die inserviebat vestiendo, noctu stragulum erat, eamque detrahens, accipe hanc, dixi, a me. Nec cunctatus induere coram cecinit:

Benedictus, qui me vestivit veste pellicea, quae ceu pluma me tutetur contra tremorem!

Induit mihi eam sanguini cordis mei cavens; caveatur ei a malo hominum et daemonum!

Hodie quidem laude mea operietur, cras vero serica paradisi.

Dixit; et cum fascinasset corda multitudinis varie ostentando eloquentiam suam, jecerunt super eum vestium pellicearum obductarum et tunicarum pictarum tantum, ut pondus eum incurvaret, vixque ab eo posset tolli, abiitque laetitia exhilaratus largasque Carago apprecans pluvias. Et secutus eum, donec sublatus erat timor et coelum apparebat sudum, dixi: vehementer sane te affecit frigus; ne nudus sis posthac! Verum respondit: vae tibi! non est justa praepropera reprobatio; ne festines vituperare injuria, nec sequaris quod nescis; per illum, qui nitere fecit canitiem, bonumque paret sepulcrum¹⁰⁾! ni nudassem me, frustratus abissem et vacuo cophino. Tum intendit aufugere et, faciei suae instar ricae austeritatem induens, an nescis, inquit, morem meum esse, transire a venatione ad venationem, et deflectere ab Amruo ad Seidum¹¹⁾? Video quam me impedis et adversaris ac alterum tantum me perdere facis, quam mihi profuisti. Libera me ergo, Deus tibi condonet! a loquacitate tua temeraria, et sine me pertinge ad portam laboris tui et delectationis! Hic adtraxi eum ad me, ut solent ludentes, jocandoque comprimens, per deum! dixi, nisi ego te occultassem nudaque tua texissem, non consecutus esses dona, nec abiisses tectior quam cepe. Igitur remunera mihi, quae in

⁹⁾ D. S. Scholl. explicant: non teget secretum meum in fraudando. ⁹⁾ Potest etiam verti: cujus bona sunt tentoria, cujusque panis humanitatis aqua est conditus. Consulto utebatur verbis, quae diverse explicari poterant. ¹⁰⁾ Secundum appositae in editione Sacyana vocales vertendum erit: bonamque fecit terram Thabae, l. a. Medinae. ¹¹⁾ I. e. a Cajo ad Titum.

te beneficia contuli, et quod te texerim et super te¹²⁾, eo, ut mihi gratificeris reddendo tunicam, aut indices, quomodo hiemem tolerare possim. Ille vero me adspiciens obtutu mirabundi, et prae se ferens austeritatem iracundi, quod reddendam, inquit, vestem adtinet, longius absum, ut id faciam, reditu diei hesterni praeteriti aut mortui in pulverem redacti; quod autem adtinet necessaria ad tolerandam hiemem, laudatus sit ille, qui obstruxit mentem tuam, memoriaeque tuae dissolvit vas, ita ut oblitus sis, quos tibi recitavi in taberna¹³⁾, Succaritae versus¹⁴⁾).

Advenit hiems, ejusque ex necessitatibus mihi sunt septem, si destillans forte pluvia ab eis comparandis prohibet:

Latibulum, bursa, caminus, poculum vini post assam, jucundaque conjux et vestis.

Addidit: responsum curas abigens melius est quam vestis calefaciens. Nunc igitur contentus sis eo, quod habes, et abeas! Et reliqui eum, et perdita erat vestis, ad calamitatem meam, nam per totam hiemationem tolerandus erat tremor.

¹²⁾ I. e. velavi fraudem tuam. ¹³⁾ D. S. Scholl. explicant Dascarae, quod sit nom. propr. loci inter Barhdadum et Holvanum. Castellus inter alia habet: domus exterorum, qui Arabes non sunt, in quibus vinum et delectamenta ludicra exstant. ¹⁴⁾ Succarita, sive Ibn Succarae, aequalis Haggagi poetae; uterque tanta floruit poceseos laude, ut compararentur Faradako et Gariro.

N o m a d i c u s.

Narravit Haret Hammamita. In primordiis praeteritae meae aetatis inclinavi ad commemorandum inter scenitas, ut imitarer animos eorum superbos linguamque mere arabicam. Quare tollens syrma, ut cui non deest diligentia, incepti terram peragraré sursum et deorsum, donec coegeram agmen mugientium et balantium ¹⁾). Deinde me contuli ad Arabes, vicarios ²⁾ regum filiosque sermonum; tutissimamque regionem mihi habitandam dederunt ac cujusque dentis aciem contundendo a me prohibuerunt. Nec ulla me apud illos invasit molestia, nulla prorsus percussit sagitta petram meam, usque dum amiseram aliquando, nocte lunae illustrata lumine, camelam lacte divitem. Nec acquiescebat anima mea, ut desisterem ab ea quaerenda, vinculumque immitterem ejus tuberi, sed insilui in equum velocem saltu, collocatâque in stapede hasta lenta tremulaque, totam noctem peragrans desertum, petivi omnem arboribus abundantem et vacuam regionem. Cum aurora vexilla sua explicaret et praeco convocaret ad preces, ibi tantum descendi a jumenti tergo, ut praecepta facerem. Tum denuo insilui in tergum ejus tentavique ejus gressum ³⁾), non animadvertens vestigium, quin sequerer, nec terrae elationem, quin ascenderem, nec vallem, quin transirem, nec equitem, quin interrogarem. Sed haec diligentia mea erat cassa, nec quaesitio ejus inveniebat aquam; jamque oriebatur aestus meridianus, fervorque oblivisci faciens Rhailanum Meijae ⁴⁾). Dies autem

¹⁾ Vel: camelorum et ovium. ²⁾ Vicarius, vel Radafae dignitate gaudens, accumbit ad dextram regis; quando bibit rex, bibit Radaf ante alios; quando in expeditionem exiit, vices ejus gerit, quartamque accipit praedae partem. Ibn Kethaibah p. 200. ³⁾ A. v. vagatus sum in colle (loco elato, tuto) ejus, exploravi que ejus aperturam. ⁴⁾ Vox rhailân notat haud dubie infantem, quem lactat mater gravida, convenitque cum dsu'lrâmmah vel dsu'ltamimah, quod infantibus amuleta appendi solebant. Meija nomen multis mulieribus commune erat, ortum a mavâ, ult. rad. j. pro mâha, ut reiija a ravâ, ult. rad. j., significansque aqueam vel, cum mâ etiam lac signet, e. g. in Freytagii Hamasa, lacteam. Erat vero etiam Rhailan nomen poetæ clarissimi, qui alias audit Dsu'lrâmmah, Meija autem nomen amatae ejus, cujus quam memor fuerit, ab ipso descriptum invenimus in Tharaphae Muallaka ed. Reiske p. 120. Utrumque respiciase videtur Hariri.

erat longior umbrâ hastae et calidior lacrimis orbatae. Certus itaque, si non subirem umbraculum defendens ab aestu, refocillarerque somno, defatigationem mihi contracturam esse morbum et adhaesuram mortem, deflexi ad arborem densam ramis frondosamque, ut sub ea dormirem usque ad occasum solis. Sed per deum! nondum anhelitus meus aërem perceperat, nec equus meus quietem, cum conspicerem tendentem a sinistra ad dextram figuram peregrinatoris devoti, qui, locum pabulationis meae petens, properabat ad tractum meum. Quamvis autem invitus animadvertēbam deflectentem ad diverticulum meum, deumque implorabam, ut me tutum praestaret a malo omnis improvise irruentis, spes mihi tamen affulsit fore, ut adveniret recitans appareretque hortator ad bonam frugem⁵⁾. Et cum non multum abesset ab arbore mea fereque descenderet in loco meo, repperi eum esse senem Sarugensem, cinctum pera sua et sub axillis gestantem itineris apparatus⁶⁾. Hilaravitque me, cum accessisset, oblitumque fecit perditae. Tum petivi, ut exponeret, unde vestigium ejus, manifestaue sua et abscondita narraret, recitavitque ex tempore, nulla interposita mora⁷⁾:

Dic quaerenti internum rerum mearum statum, tu mihi carus et honoratus es!

Ego vero nunc hanc, nunc aliam, seco regionem; modo hoc, modo illud, desertum noctu pererro.

Viaticum meum, quod venor; camelus, ocrea; apparatus meus, pera et hastula.

Quando descendi in urbem, hospitii coenaculum domus mea, compotores sunt schidia⁸⁾.

Nil mihi est, quo amisso contrister, aut doleam, si tempus auferre voluerit.

Pernocto vacuus curae, animus se subduxit omni moerori.

Dormio quantum satis palpebris, corde quieto a torrentibus aerumnis et aegritudine.

Non curo quo ex poculo biberim, nec quid distet dulce ab acido⁹⁾.

Quamvis minime licitum habeo, ignominiosa facere, ut via sit largam ad remunerationem.

Si negotii quid tegat veste ignominiae, apage! qui illud velit conficere.

Quando autem vilis impetuose fertur ad facinus malum, natura mea respuit naturam ejus et malum impetum.

Fata potius quam malefacta! Antiquius feretro ferri, quam ad malas ferri actiones!

⁵⁾ Vel: qui nuntium ferret de amissa dirigeretque ad rectam viam. ⁶⁾ Cogita: hastam. ⁷⁾ Proprie: nec dixit St! ⁸⁾ Dicere vult: schidia papyri, quibus inscribo, quo acquiram, quod comedam et bibam. ⁹⁾ Proprie: quid distet dulcedo ab ea qualitate, quae medium tenet inter dulcedinem et acorem.

Tum sublato ad me visu, ob causam, inquit, factum est, ut Kozair¹⁰⁾ abscinderet nasum suum. Ibi ei narraui historiam camelae meae amissae, quasque hanc ob rem heri et hodie toleraverim molestias. Excepit me: desine curare quod abiit, et concupiscere quod periit; nec moere ob illud, quod aufugit, etiamsi esset vallis auri plena. Nec reconciliare studeas eum, qui declinavit ab aura tua¹¹⁾, accenditque tibi afflictionum ignem, vel si esset filius tuus proprius aut frater germanus. Tum dixit, nonne tibi placet ut dormiamus, evitantes verba et sermones? Nam corpora sunt lassitudine debilitata, meridies autem flammis dominatur, nec quidquam magis polit animum, languentesque recreat, quam somnus tempore meridiano, praesertim mensibus Nager¹²⁾. Respondi, hoc tui est arbitrii, nec tibi importunus ero. Instrato itaque humo recubuit seque dormire simulavit. Ego vero innitebar cubito, eo fine ut vigilarem, non dormirem. At somnus me oppressit, cum linguae essent frenatae, nec expergefactus sum, nisi cum nox jam subiisset stellaeque splenderent¹³⁾, et ecce! nec Sarugensis aderat, nec equus ephippio instructus. In nocte itaque eram Nabegiica¹⁴⁾ Jacobiticaeque tristitiae, fervore capitis certans cum fervoribus diei¹⁵⁾, vigilantia certans cum stellis, cogitans modo de incessu meo pedestri, modo de reditu. Tandem, cum facies coeli ridendo nudaret dentes lucis¹⁶⁾, apparuit mihi eques properans deserto. Cui signa veste mea dabam, sperans fore, ut ad me accederet. Sed nil curabat signa mea, nec miserebatur mearum molestiarum, sed ultra pergens commode, contemptus me feriebat sagitta. Unde celeriter cucurri rogaturus, ut me a tergo vectorem reciperet, patienter ferentem ejus superbiam. Assecutus autem cum molestia, cum in eo gyrarem obtutum oculi liberum, vidi camelam meam ejus esse jumentum, amisamque ab eo inventam. Nec in mora habui quidquam, quo minus eum de gibbo dejicere, habenaque extrema ei rapere studerem, clamans, ego possessor, qui eam amisit; mihi lac ejus et foetus; nec similis sis Aschabo¹⁷⁾, nec mihi simul et tibi

¹⁰⁾ Kozair nasum sibi ipse abscidit, eo consilio, ut ulcisceretur dominum suum Gasimam, regem Adensium, qui Sabbaam, reginam Hirenssem, matrimonio ducere voluerat, sed ab ea occisus erat. Gasimae enim sororis filium, Amruum fil. Adii, ipsum ita mutilasse narrans, servus ille, mulierem ad commiserationem et ad fidem sibi habendam movit. ¹¹⁾ D. S. Scholl.: a potestate tua. ¹²⁾ I. e. Junio et Julio. ¹³⁾ Nisi praefereundum est Plejades; cfr. Amrulkaisi Moallakam v. 23. ¹⁴⁾ Haririus respicit versum Naberhae, vel Nabegae: Pernoctavi quasi oppressus a serpente, etc. ¹⁵⁾ D. S. Scholl.: dimicabam cum moerore, ira. ¹⁶⁾ De oriente sole hoc mihi explicandum esse videtur, non de aurora. ¹⁷⁾ Aschab Medinensis, cognomine avidus, tanta erat aviditate, ut de se ipso diceret: neminem video manum inserere manicae suae, quin credam, cum mihi aliquid dare velle.

molestias crea. Ille vero mordere et pipire¹⁸⁾, impudentem se gerere et protervum. At, cum modo acerbum, modo lenem, modo leoni similem, modo submissum, se praeberet, oppressit nos Abu Seid, indutus pelle pardi, irruens ut fluctus effusus. Quod animadvertens metuebam, ne hodiernus dies fieret ut hesternus, et luna ejus similis esset soli ejus, adjicererque duobus coriariis¹⁹⁾, evaderemque fabula de vere existente, nec aliud mihi videbatur, quam eum monere pactorum oblitorum et hesterni facinoris. Obtestanti autem per deum, veniretne hodie reconciliationis causa, an ut me perderet, respondit: avertat deus, ut eum trucidem, quem sauciavi, addamque samumo nocturno diurnum! Status tui explorandi gratia adveni, et ut sinistrae tuae essem dextra. Tranquillato ibi pectore meo et discusso metu, exposui historiam camelae et, qua socius meus se operiret, impudentia. Quo facto illum adspexit, ut leo lustrī adspicit praedam; tum coram eo hastam extendens juravit per illum, qui lucere fecit auroram, sese, nisi evaderet ut musca²⁰⁾, et loco praedae contentus esset reditu, spiculum illius adducturum esse ad sorbendam venam ejus jugularem, eoque afflicturnum filium et amatum. Projecta igitur camelae habena, fuga se proripiens, evasit celerrimo cursu. Tum me allocutus est Abu Seid: tene et frena eam; nam duarum rerum pulcherrimarum est altera, et noxa una levior est quam binae. Perrexit Haret Hammamita. Et dubitabam, reprehenderemne eum, an gratias ei agerem, utilitatemque compensarem cum noxa. At, quasi quis ei insusurrasset, quod corde tegebam, aut quasi hariolatus esset, quae interna mea turbabant, hilari facie ex adverso me respiciens, recitavit lingua volubili:

O frater, patienter ferens injurias, prae fratribus germanis et affinibus!
Si te male habuit hesternus dies mea causa, jam exhilaravit te hodiernus.
Condona igitur, et procul abjice et gratias et reprehensiones!

Adjecit: equidem sum promptus ad iram, tu vero ad lacrimas promptus es; haud itaque convenimus. Mox conversus secabat superficiem terrae, bucephalum suum propellens vehementissime. Ego vero, non cunctatus conscendere jumentum, iter relegi ad hospitium meum, donec adtigi mansionem, expertus res et reculas. —

¹⁸⁾ Proverbium, de his usitatum, qui injuriam exercent et conqueruntur. ¹⁹⁾ Qui nunquam e deserto redierunt. ²⁰⁾ Vel, secundum variantem lectionem: ut serpens. D. S. Scholl. dicunt: evasionem muscae cam esse, quae debeatur contemptui.

T e f l i s e n s i s.

Narravit Haret Hammamita. Deo summe laudando memet ab adolescentia inde obstrinxeram, nunquam, quoad possem, differre preces, et peragrans quamvis deserta aut lusui deditus vacuis horis, semper observabam stata precationis tempora, cavens crimen negligentiae. Quando igitur alios in itinere comitabar et descendebam in statione aliqua, voci vocantis ad preces acclamabam salve! strenue observantem pietatis officia imitans. Cum autem Teflisum¹⁾ intrassem et forte una cum inopum multitudine precatus essem, instituentibus nobis abitum, processit senex, torturam oris simulans, tritus vestes et vires, et ita locutus est: Adjuro eum, qui creatus est e materia generositatis, lac suxit religiositatis: tantum quod pauxillum temporis mihi impenderit et oris effatum aliquod perceperit, optionem deinde habebit, remunerandique et recusandi tenebit arbitrium. Homines ergo ei consederunt et, montium instar, immoti manserunt. Ille vero, pulcherrimum eorum silentium et gravitatem intellectus animadvertens, ita verba fecit: Vos, qui videntibus dominamini oculis et sensibus claris²⁾! Nonne adspectus relationis vices explet et fumus indicat ignem? Splendet canities, graviter premit infirmitas, morbus est evidens, ignominiose patet interna conditio. Attamen et ego, per deum! ex iis fui, qui regnant et abundant, praesunt et regunt, dant et largiuntur, benefici sunt et superbi; sed non desierunt calamitates mihi evellere adipem, et vicissitudines fortunae memet extenuare, usque dum sedes evaserat desertum et manus vacuitas. Signum meum est miseria, amaruit vita, vociferantur prae fame pueri et vel ossicula dactylorum masticare posse cupiunt. Nec ego hoc probrosum abscondita vobis detegendi negotium subii, nisi postquam pressus sum infelicitate, distortus

¹⁾ Teflis, proprie Tafilis, ab aliis scripta Tiflis, urbs est Armeniae. ²⁾ Vel: mirabilibus.

ore, et ob id, quod mihi accidit, incanui. O utinam non superstes in vita mansissem! Tum ejulavit more dolentis et recitavit voce tenui:

Queror coram misericorde, laudibus venerando, mutationem et inimicitiam fortunae,
Casusque, qui silicem meum percusserunt, et gloriae meae structuram dissolverunt,
Et fregerunt arborem meam; at eheu! cujus ramos mali casus frangunt;
Sterilemque fecerunt mansionem, ut ab ea migrare coëgerint mures,
Ac circumvagantem me et intereuntem reliquerunt. Patior paupertatem et angores ejus,
Postquam dives fui, dominus opulentiae, qui manicas suas raptabat in deliciis,
Cujus cutiebant frondes beneficia captantes, cujusque ignem laudabant noctu migrantes.
Sed hodie nunquam ei fortuna, quae oculo eum petivit maligno, fuisse videtur;
Declinat, qui eum alias visitabat, et qui beneficia petebat, agnitionem aversatur.
An vero juvenum quemquam contristet adspectus infelicitis senis, quem sua decepit fortuna,
Ut dispellat curas, quae eum angunt, et corrigat statum, qui eum dedecorat?

Pergebat narrator: Praesens multitudo eo adducta est, ut in eum inquireret, occulta ejus elicere et peram ejus excutere gestiens; hinc dixerunt: jam cognovimus ponderis³⁾ tui pretium et trutinæ tuæ perspeximus copiam; nunc fac resciamus tui rami arborem, et retege velum a prosapia tua. Verum ille avertit vultum, ut cui graviora imposita sunt, quam praestare possit, aut filiae nuntiatae sunt natae, et incepit execrari mala cogentia, moeruitque ob deficientem humanitatem; dein pronuntiatione quidem distincta, fraudulento vero sermone, recitavit:

Per vitam tuam! non cujusvis rami fructus dulcis radicem indicat suam.
Ede autem, quod tibi porrigitur, jucundum, nec interroga mel de ape sua.
At distingue, cum prelo subjicis uvas, primum musti tui ab acetoso,
Ut ex cognitione majus aut minus statuas pretium, et vendas totum pretio conveniente.
Nam ignominiosum est ingenio solerti, imbecillitatem in intellectum illabi.

Dixit; et complacuit multitudini acumine suo et astutia, fefellitque fructu, quamvis morbosus, pulcherrimo; unde collegerunt, quod amborum brachiorum complexu conderet, et ambabus manibus distenta occultaret lacinia, alloquentes: Heus tu! advolasti ad puteum parum habentem aquae, et attigisti alveare vacuum; accipias igitur hocce residuum, nec aberrasse te a scopo, nec etiam feriisse aestimans.

³⁾ I. e. rhythmorum tuorum.

Sed ille exiguum eorum donum pro largo habuit, et acceptioni gratiarum actionem junxit; tum conversus tractabat sui dimidium, et declinans diripiebat vias suas⁴⁾. Dixit vero, qui hanc historiam retulit: Ibi mihi visum est, eum externum habitum machinatum esse, et artificium incedendo adhibere; surrexi itaque, eandemque ingressus semitam vestigia pone legebam, illo limis me adspiciente et fugiendo prohibente, donec vacua erat via et veritatis manifestatio non amplius praesepiebatur. Hic laeto et hilari oculo me intuitus est et sincerum se praebuit, postquam similitudo deceperat, inquit: ego te sane cogito fratrem peregrinationis, qui quaerit societatem; expetisne socium, qui benignus sit et adjuvet, quique desiderabilis sit et pro te eroget? Respondi: si talis mihi contingeret, conveniente gauderem forte. Regessit: jam invenisti; hilaris ergo sis! et honorifici quid tibi contigit, adhaereas ergo! Dein, postquam risui aliquamdiu indulserat, repraesentavit vultum bene habentem, et ecce! erat senex Sarugensis, absque ullo corporis morbo dubiove in faciei characteribus. Maxime igitur laetatus, tum quod eum offenderam, tum ob morbi vanitatem, intentus eram reprehensioni ob pessimam agendi rationem; sed ille, priusquam taxarem, aperuit os recitando:

Veste prodii lacera, ut dicerent: pauper est, qui transigit tempus iniquum;

Et hominibus memet paraplegia laborantem monstravi, quam saepe enim hoc modo jam
obtinuit cor meum expetita!

Sin lacera non fuisset vestis, non miserti essent mei, nec, si defuisset paraplegiae
simulatio, victoriam reportassem.

His adjecit: non superest hac in regione pratum herbosum, nec in incolis ejus, cujus teneamur desiderio; quod si tu te mihi comitem praebere vis, via nobis est eadem. Profecti ergo sumus expediti, et per integrum biennium eum comitatus sum, jamque statueram societatem ei praestare quamdiu viverem, cum tempus recusans dirimeret. —

⁴⁾ Nullo utens viae indice, vias suas occultabat. D. S. Scholl.

S e b i d e n s i s.

Narravit Haret Hammamita. Cum secarem desertum, Sebidum¹⁾ petens, comitabatur me juvenis, quem usque ad pubertatem educaveram, et direxeram usque dum mores ejus perfecte boni erant, et moribus meis adsuetus cognoverat, quid me juvaret; quare nunquam desiderium meum praetergrediebatur, nec in petendis rebus scopo aberrabat. Haud dubium est, quin propinquitas ejus cordi meo necessaria esset; eumque elegeram ministerio meo, sive domi versarer, sive in itinere. Hunc tempus omnia perdens abripuit, cum Sebidum nos contineret. Ego vero, cum ejus robur evanisset²⁾ et quiesceret vox, annum perseveravi non deglutiens cibum, nec petivi juvenem alium, usque dum solitudinis defectibus et molestiis, quas stando et sedendo persentiscebam, eo adactus sum, ut in margaritae locum sphaerulam vitream³⁾ substituerem, et quaererem, qui deficientis vices expleret⁴⁾. Hoc consilio me contuli ad homines, qui in foro Sebidensi servos vendere solebant, et dixi: cupio servum qui, horsum moveatur aut prorsum⁵⁾, placeat, et laudem mereat, cum tentetur; utque sit talis, quem exercuerint solertes, et inopia protraxerit in forum. Omnes ibi annuebant petitioni, et assiliebant, et brevi conquirere promittebant. Sed conficiebant lunae novae circuitum suum, et convertebantur plenae et deficientes, nec ullum promissorum illorum praestitum est. Itaque, cum viderem venditores oblitos vel simulantes oblivionem, animadvertens, non omnem, qui commensus sit⁶⁾, secare, nec aliud cutem meam tam bene scabere, quam proprium unguem, reprobato rem aliis committendi instituto, cum auro et argento in forum

¹⁾ Sebid urbs est Jemanae post Zanaam maxima, a mari paullo minus diei itinere distans, emporium frequentatum ab Aethiopibus. ²⁾ Proprie: cum struthio ejus defecisset. ³⁾ Vel: lapideam. ⁴⁾ Proprie: obturaret vacuum. ⁵⁾ D. S. Scholl. explicant: si nudetur; quae tamen significatio verbo kalaba non inest. ⁶⁾ E. g. corium.

egressus sum, et mancipia mihi producere jussi, et sciscitatus sum pretia. Ibi mihi occurrit vir capistratus vitta, qui juvenem carpo tenens dixit:

Visne emere juvenem industrium, forma et moribus excellentem,
Qui, quodcunque ex eo suspendas, portat; quando loquitur, sanat; quando tu loqueris,
memoria tenet;

Quando lapsus fueris, surgas! vocat; in ignem currit, si jubes;
Qui, vel unicum diem societati adhibitus, servat⁷⁾; quacunque re contentus esse jubetur,
contentus est;

Multam quamvis assecutus astutiam, tamen nunquam mentitus est, nec quidquam praetendit;

Allicienti non praebuit aurem cupiditati, nec commissae evulgare secreta licitum habuit,
Diu autem mirandus fuit in eo, quod egit, et in carminibus pariter, ac in prosa, superior
fuit?

Per deum! nisi angustia vitae et pueri nudi, esurientes, cruciarent, non vendissem eum
regno toto Cosrois.

Dixit; at ego conspiciens staturam ejus rectam et pulchritudinem sinceram, existimavi unum ex juvenibus horti beatitudinis videre et exclamavi: hic non est homo, verum honorando nihil minus angelo! Dein eum de nomine suo interrogavi, non tam rescindi ductus cupidine, quam ut viderem, quomodo se haberet lingua ad pulchritudinem. Sed, nec dulce, nec amarum, edens verbum, nec servae sese, nec ingenuae, filium sermone prodebat. Averti me ergo ab eo⁸⁾, inquires: phui et hui haesitationem tuam turpem! Ibi ridens caput suum modo demisit, modo extulit, tum ad me convertit et declamavit haecce:

O tu! cujus exardet ira, quod non prodam nomen meum; sic non agit aequus.

Si nihil aliud te, quam hujus expositio, placat, ausculta! ego sum Josephus, ego
Josephus!

Jam ego tibi velum retexi; si sapis, cognovisti; sed non credo te cognovisse.

Dixit; et carmine ejus abiit ira, et direptus mihi est intellectus, quasi incantatione. Attonitus eram, ut non inquirerem, et oblivissemur Josephi justae historiae; nec alia restabat cogitatio, quam ut eum liceret domino ipsius et

⁷⁾ Scil. foedus, amicitiam. ⁸⁾ In textu additur: avertendo, vel latus.

explorarem pretii, quod solverem, summam, existimans: certe te adspiciet ille limis, et nimis altum indicabit pretium. Sed non eo usque evolavit, quo ego, nec ubi ego affixus haerebat, verum inquit: servus, si parvi constat, et levis est eum comparandi difficultas⁹⁾, domino per eum bene est, et hujus amor eum complectitur; quare, cum ego sane praeferam, ut hunc tibi juvenem cariorem faciam levi pretio, quod tibi indicem, pende, sis, ducentas drachmas, et gratiam mihi habe, quamdiu vives. Et statim paratam illi solvi pecuniae summam, ut solvit, quis pro re vili et licita¹⁰⁾, nec venit in animum, quod omne vile sit carum. Cum autem percussa utrinque manu emtio stabilita et discessus constitutus esset, lacrimae manarunt ex oculis juvenis plures, quam fundit nubes, et accedens ad dominum inquit:

Maledicat tibi deus! num qualis ego sum venditur, ut satienter parvuli esurientes?
Et num secundum legem aequitatis, ut obligar muneri, quod a me impleri nequit,
Et tenter terrore alio post alium? Quamvis qualis ego, cum tentatur, non terretur.
Nonne probasti me, et perspexisti consilia sincera nulla fraude mixta?
Quoties me constituisti rete venationi, redii cum fera in laqueis meis;
Imposuisti mihi molestias, et faciles se praebuerunt, quamvis inesset difficultas¹¹⁾.
Quaenam est res invis, cui operam non navarim, quae praeda, cui consequendae non aptus fuerim¹²⁾?
Nec manifestarunt dies crimen a me commissum, ut in disjunctione detegatur¹³⁾.
Vitium tu nullum, gratiae sint deo! in me offendis, quod abscondatur, aut dispergatur.
Quomodo tibi ergo facile esse potest, me ex oculis tuis remove, ut solers mulier abjicit schidia?
Et qui potuit anima tua concedere, ut me humiliare, et venderer instar mercis?
Nonne ego existimationem meam ab hoc (contemptu) custodivi, ut sermones tuos, quo die serio constituebatur separatio?
Dixisti: profecto! quicumque licitetur hunc equum egregium, nec commodatur, nec venditur.
Equidem haud minoris sum, quam ille equus generosus, indolem sed tuam superat illius indoles;
Praeterquam quod ego, cum vendar, canam: perdiderunt me, at qualem perdiderunt juvenem!

⁹⁾ A. v. et leves sunt difficultates ejus. ¹⁰⁾ Vel: quam vendere licet. ¹¹⁾ Proprie: obsequentes, ductiles, se praebuerunt, quamvis inesset refragatio. ¹²⁾ A. v. qua mihi non fuerit ulna, brachium. ¹³⁾ Secundum D. S. Scholl. a. v. vertendum est: ut capitis operimentum in disjunctione detegatur. Praeferrem tamen interpretari: ut animi tranquillitas in disjunctione possit ostentari; quod salvis textus vocalibus fieri potest.

Istis versibus auditis intellectoque suavi sermone senex, altum postquam traxerat suspirium et ita lacrimarat, ut alienis etiam lacrimae oborirentur, filii, dixit, loco hunc juvenem habeo, nec secerno a jecoris mei partibus, nec unquam, nisi stabulum evasisset vacuum, et extincta esset lampas, reliquisset nidum meum, usque dum secutus esset feretrum. Jamque video quantum eum incessit doloris, et probus homo ¹⁴⁾ lenis et placidus est. Visne igitur, ad consolandum cor ejus et propulsandum dolorem, mecum pacisci, ut emtionem rescindas, quando te precaturus sim, nec grave habeas, quando tibi molestus fuerim? Nam in historiis selectis, a fidis auctoribus in syntagma redactis, legitur: qui mercatum cum fratre initum remittit, ei deus remittit peccata sua. Pudore coactus, quamvis multa ¹⁵⁾ corde volutabam, promisi. Juvenis ibi propius accedens frontem senis exosculabatur, qui lacrimis ex genis libere delabentibus cecinit:

Tranquillo sis animo! caput meum pro te devoveo, quodcunque molesti doloris et miseriarum subeas,

Haud longum est discessus spatium, nec cessabunt renovandae conjunctionis cameli,
Ope grata potentissimi creatoris!

Adjecit: trado te optimo domino, et sublata amiculi lacinia abiit. Juvenis autem perseveravit in gemitu et ejulatu donec, miliaris spatio emenso, rediens ad tranquillitatem, sedato lacrimarum fluxu ¹⁶⁾, ita me compellavit. Scisne cur flevi et quam ob causam ejulavi ¹⁷⁾? Reposui: discessum a domino te, ut fleres, commovisse credo. Ille contra: ego sum in fluvio, et tu etiam in fluvio es; quantum autem interest inter piscatorem et praedam! dein recitavit:

Non fleo, per deum! propter amicum direptum, nec propter amissa delectamenta et gaudia,

Sed lacrimarum fluxus ex genis profunditur ob imprudentem, cujus oculus gestiens Eum praecipitem dedit, usque dum afflictus est et ignominiae expositus, perdiditque sculptos, candidos, splendentes ¹⁸⁾.

Vae tibi! nonne elegantes illi versus tibi indicarunt, me liberum esse, quem vendere vetitum?

Cum praeterea et nomini Josepho indicium insit clarum?

¹⁴⁾ A. v. fidelis, fidem habens Deo et Mohammedi. ¹⁵⁾ A. v. res. ¹⁶⁾ A. v. averais lacrimis effusis.
¹⁷⁾ D. S. Scholl.: et quo fretus (innixus) sum? ¹⁸⁾ Scil. nummos.

Dixit; et assimilavi verba ejus disputationi jocantis, phalerisque ludentis; ille vero indurescens, more veridici, mundabat se a luto servitutis. Circumvagamur ergo in rixa, quae ad alapas usque progrediebatur tandemque in iudicium procedebat. At iudex, cum statum rei luculenter exposuissemus, suratamque nostram praelegissemus, dixit: nonne, qui commonefecit, excusavit se; qui cavere jussit, indicavit; et qui edocuit, officio non defuit? Ex iis enim, quae commemorastis, clare prodit, juvenem quidem monuisse, te vero non abstinuisse, sincerumque tibi illum dedisse consilium, te vero non servasse. Tege igitur et occulta stupentis cordis morbum, nec illum, sed te ipsum reprehende. Cave autem, ei inhaereas cupiasque eum possidere servum, qui liberae cutis nec exponendus est venditioni. Nam pater ejus heri, ante solis occasum, eum adduxit, et se esse rammum, qui eum emiserit, nec alium, quam se, possessorem ejus, confessus est. Interrogavi: an novisti patrem, quem deus pudefaciat?! Reposuit: quasi ignorari possit Abu Seid, quem impune licet convitiis adspargere, de quo apud omnes iudices sunt historiae, de quo ad omnes delatum est! Tum ego incensus ira, nonnisi in Deo auxilium esse, exclamavi et, cum jam aufugisset tempus, quasi ex delirio redii, certus, vittam illam fuisse rete fraudis et domum venationis¹⁹⁾. Et demittebatur visus meus ob id, quod expertus eram, juravique non amplius negotia habere cum capistrato, quamdiu essem victurus, nec desinebam lamentari ob emtionem frustratam et ignominiam inter sodales. Ad quae iudex, videns iram meam et excandescendae ardorem, haec effatus est. O vir! non perdidisti id peculii tui, quod te monet; nec crimen erga te commisit, qui te expergefecit. Sapientiam igitur hauriens ex eo, quod in te ingruit, cela hunc casum amicos tuos, semper tamen mali, quod te obruit, memor, ut recordatio tuos tueatur nummos. Ac indue mores viri, qui, patiens cum fentatur, positum ob oculos exemplum probe considerat. Quibus dictis eum valere jussi, indutus veste pudoris et tristitiae, trahens syrma animi falsi et stupidi, instituique Abu Seidum prosequi aversatione, et in aeternum me ab eo separare. Proinde evitabam aream ejus et recedebam ab ejus adspectu, donec me oppressit in via angusta et salute propensi impertivit. Ubi ego nihil aliud, quam austero vultu prospicere et tacere. Sed ille, quid, inquit, tibi venit in mentem, quod nasum extollis supra socium tuum? Regessi:

¹⁹⁾ D. S. Scholl. explicant: et verum poematis ejus.

oblitusne es, quod astute egisti et fraudasti, et patraſti facinus tuum, quod patraſti? Tunc increpuit ore subsannans et recitavit me reconciliaturus:

O tu! qui aversus es, iratus, austerus,
Et plumas vituperia, quibus inferiores sunt sagittae,
Dicisque: num liber venditur, ut venditur niger²⁰)?!
Parce! nam non primus id feci, ut opinaris;
Jam ante vendiderunt Josephum Jacobitae, at quales illi!
Praeterea juro per domum, ad quam iter dirigit religiosus,
Et per ambeuntes dispersis antiis macilentos,
Quod non suscepi hoc negotium ignominiosum, dum supererat drachma.
Excusa igitur fratrem, et abstine vituperare more insipientium.

Adjecit: excusatio quidem mea jam patet, tuae autem monetae perierunt. Quod si me horres et a me deflectis, nimium tristis ob amissos nummos²¹), scias velim, me non esse eum, qui mordeat bis et binas calcare faciat prunas; sin animum applicas, morem gerens avaritiae, ut vindices, qui retibus meis inhaeserunt, obolos, deplorent deplorantes prudentiam tuam! Dixit Haret Hammamita: hoc sermone suo decipiente et victoriosus praestigiis suis coëgit me, ut in sinceram cum eo amicitiam redirem, meque ei benevolum praeberem. Post tergum itaque jeci²²) facinus ejus quamvis execrabile.

²⁰) Scil. equus. ²¹) D. S. Scholl.: nimis misericors impensae tuae residuis. ²²) D. S. Scholl. monent, id notare: facinus ejus oblivioni tradidi.

S c h i r a s e n s i s .

Narravit Haret Hammamita. Cum ambularem Schirasi¹⁾, offendi coetum²⁾, qui praetereuntes, properantes licet, sistebat, et praeterire nec ego potui, sed, ne passum quidem ultra progressus, ad eum deflexi exploratum, quae sit gemmae ejus indoles, et an pro floris specie fructus se habeat. Et ecce, congregati ejus erant singulares³⁾, et lucrabatur⁴⁾, qui ad eos deverteret. Cum autem festivo frueremur sermone, laetiorè quam cantus (pulchrarum puellarum), jucundiore quam lac uvarum, oppressit nos laceratas binas indutus vestes, qui duas fere aetates pervixisse videbatur, lingua haud impedita salutans, et diserte instar disertissimi alloquens. Cum vero amiculi cingulum necteret, ut solent consessuri, homines quidem ob laceras vestes contemptus invasit, oblitos, quemque in duabus rebus suis minimis spectari virum⁵⁾. Et coeperunt sibi invicem arrogare eloquentiam, agallochenque ejus accensere materiae foci, dum hic ne verbum quidem prodebat, nec ullam ostendebat sui notam, donec ingenia eorum perspexerat, praeponderante aequè ac levi cognito. Tandem vero, cum abscondita eorum eliciisset, et pharetras eorum evacuasset, ita locutus est: O homines! si scissetis sub operculo vinum latere merum, non contempsissetis laceras vestes indutum, nec, ei boni quid inesse, prorsus negassetis. Simul doctrinae suae fontes et eximias elegantias promanare sivit, quae

¹⁾ Schiras, inter Persiae urbes princeps, condita est in valle praefertili. Eminus accedentibus pulcherrimum praebet adspectum, ob altas turres e splendentibus saxis constructas, et hortos atque viridaria, vernantibus cupressis consita, quae extra et intra eam sunt. Nascitur hic praestantissimum vinum totius Persiae, et venundatur admodum vili pretio. Laudatissima vero rosarum aqua hinc ad varias et longinquas regiones deportatur. ²⁾ Vox arabica praecoenem, invitatore ad conciliabulum, et conciliabulum ipsum notat. ³⁾ Vel: singuli. ⁴⁾ Vel: dabatur. ⁵⁾ I. e. corde et lingua.

singularem excitabant admirationem, dignae, ut auro liquefacto scriberentur. Dein, vulnerato⁹⁾ omni pericardio, omnibusque cordibus ad ipsum attractis, movit ad abitum et paravit discessum. At congregata multitudo, a lacinia ejus se suspendens, cursum fluctus inhibuit, inquiens, tu sagittae tuae notam nobis ostendisti, jam fac cognoscamus etiam ovi tui testam ruptam et luteum⁷⁾. Hic ille tacere, ut quem moeror suffocat, dein ejulare adeo, ut misericordiam moveret. Continuavit referens. Ita cum lac vix mixtum et jam coagulatum⁸⁾, artemque ac viam Abu Seido consuetam animadverterem, accuratius senem consideravi, ut erat macro vultu et diminuto faciei adspectu⁹⁾; et re vera ille erat ipse. Tamen hoc secretum occultavi ceu morbum intestinum, et, quamvis ille non opinabatur¹⁰⁾, fraudem texi. Ejulatu demum finito, se a me cognitum esse intellexit et ridibundo me adspexit oculo, tum recitare coepit voce flere simulantis:

Dei imploro misericordiam, submittens memet ob peccata, quae tergum meum oneraverunt.
O homines! quot ego vetustos¹¹⁾, obesos¹²⁾, optimis adtributis praeditos, in rorantibus
(pratis)¹³⁾

Occidi, nec timui possessorem, qui exigeret talionem aut pretium,
Semper, cum peccati accusarer, fatis culpam tribuens.

Nec evigilavit anima ex errore, pertinax in occidendis primogenitis¹⁴⁾,
Donicum apparens in vertice canities me prohibuit.

Ex quo enim incanuerunt tempora, nec vetustioris, nec junioris unquam fudi sanguinem.
Nunc autem, quo me videtis, statu et arte parum praebente versor,

Possidens puellam, cujus duravit domi retentio et seclusio usque post amores¹⁵⁾,
Tamen expetitur matrimonio, ut pulchra, quae virum possit laetare, solet expeti.
Sed, utut acquiescatur exiguo, minus centum drachmis ei dotandae non sufficiunt,

⁹⁾ D.S.Scholl.: decepto. ⁷⁾ I.e. unde tu ortus sis, et interiora status tui. ⁸⁾ D.S.Scholl.: dulce ejus et amarum; quod proprie notet: mel et lac crassum, acetosum. ⁹⁾ D.S.Scholl.: et male odore. Nos cam verbi sahaca recepimus significationem, qua convenit cum sachaka, diminuit, trivit; ad reijā, adj. foem., quod notare potest impletam pinguedine et carne, cfr. Nahāsi schol. ad Amrulkeisi Moall. ed. Hengstenberg v. 28, supplevimus cutem, faciem. Verum tamen est, reijā in hoc Haririi libro occurrere solet significatu aurae, odoris. ¹⁰⁾ Vel: quamvis non esset dubia. Verbum utramque interpretationem admittit. ¹¹⁾ Atik notat etiam vini utrem vetustum et virginem viro maturam. ¹²⁾ Anis est camelus obesus et quae supra aetatem apud parentes inauspiciata mansit puella. ¹³⁾ Vel: quorum adtributa laudabantur in coetibus. ¹⁴⁾ Vel: virginibus. ¹⁵⁾ D.S.Scholl.: cujus longa fuit domi retentio et quae seclusa fuit adeo ab auris. Equidem hattā refero ad thāla; vox an saepe notat post. Vino et mulieri nonnihil est commune; haec quidem quadragesimum annum egressa, secundum regulam, minus desiderat conjugium; illud eodem fere tempore desinit commoveri sympathia cum florentibus vitibus, quae amorī comparatur.

Cum manus mea ne unam quidem contineat, terra sterilis, coelum nubium expere sit;
An ergo quisquam me juvet, ut eam transferre possim, puella comitatum oblectante ¹⁶⁾,
Et purget curas smegmate suo ¹⁷⁾ meas, et cordis affligentes cogitationes,
Et gratias meas promereri studeat, quarum odor dispergatur in conviviis.

Dixit; nec quisquam ex multitudine restitit, qui non largitus esset et beneficia sua in eum profudisset. Quare prosperata petitione et drachmarum centuria completa, gratias egit, felicitatem apprecans, et a crure discessuro sustulit laciniam. Ego vero secutus sum, scire cupiens, quamnam puellam in gynaeceo suo educarit, et quosnam rerum suarum initio interfecerit. Ibi ille, quasi celeritate, qua surrexeram, edoctus esset de desiderio meo, appropinquavit ad me et, intellige, inquit:

Amice! occidere, de meae sortis homine dictum, significat vinum miscere; non occido dente acuto ¹⁸⁾, aut gladio.

Quare diu in domo retenta virgo filia est vitis, non virgo ex filiabus nobilium;
Quam quidem ut in scyphum et poculum immitterem, hoc me vidisti statu et statione.
Adverte quae dixi, et pro arbitrii tuo, si vis, ignosce aut vitupera.

His addidit: ego sum homo per ebrietatem nocens, tu contra pusillanimis; magna ergo inter nos est differentia. Tum valedixit et abiit, relicto mihi in vaticum adspectu amorem prodente ¹⁹⁾. —

¹⁶⁾ I. e. vinum transferre possim, ancilla, fidicina, comitatum oblectante. ¹⁷⁾ D. S. Scholl. sub smegmate intelligunt vinum, quod id abluit tristitiam. Quo accepto vertendum est: et purget curas smegmate earum. ¹⁸⁾ Scil. spiculo, hastae dente, ut Romani poetae dicunt. ¹⁹⁾ Quod alii interpretantur: fecit, ut amantis visu eum prosequeretur.

M a l a t i e n s i s.

Narravit Haret Hammamita. Procumbere feci Malatiae ¹⁾ camelam itineris, et pera mea plena erat aureis. Ex quo autem illuc deverteram, assumseram consuetudinem adaquandi ad aquas laetitiae et venandi divulgatas per regionem fabulas, nec me fugiebat quod gratum auditu esset aut visu, nec vacuus erat a me locus lusus aut gaudii; donec, cum non superesset negotium in ea (urbe), nec desiderium ultra in ea commorandi, serio erogavi pecuniam, ut emerem ad iter necessaria. Cum praeparationem perfecissem, et discessus esset in promptu aut prope, vidi novem viros, qui emto vino ascenderant collem; lenitas eorum erat compes oculorum, delectatio erat dulcedo verborum. Accessi ergo ad eos, cupidus conversationis, non vini, et appetens congressus, non poculi; et cum illis insertus essem decimus, additusque socius, inveni eos filios diversarum matrum ²⁾, desertorum ejectamenta, nisi quod cognatio urbanitatis eos conjunxerat ut generis cognatio, paremque inter eos fecerat dignitatis gradum, ut splenderent instar stellarum astri geminorum, aut camelae ³⁾, cujus omnes proportionales sunt partes. Et laetitiam mihi creabat accessisse ad eos, et commovebar ad laudandam constellationem, quae me adduxerat, inepique meas sagittas cum ipsorum versare, sanitatem petens ex odore (ingenii) eorum ⁴⁾, non vini. Usque dum colloquii ambagibus eo pervenimus, ut aenigmata proponeremus mutatoria, ut si, intendens ut respondeatur Karamata, honores, interrogas, quid est simile Naumu fata, somnus praeteriit? Et exorsi sumus reterege Sohā ⁵⁾ et lunam, et decerpere spinas et fructus.

¹⁾ Malatia, Malatlja, Maltija, eadem est urbs ac Meledni, Melitene, non sita in Mesopotamia, sed cis Euphratem, in finibus terrae Rām. ²⁾ I. e. diversos. ³⁾ D. S. legit Gumlet, i. e. totum. ⁴⁾ D. S. Scholl. explicant: e sermone eorum. ⁵⁾ Sohā, stellam obscuriorem in ursae majoris astro, quaerendo, oculos probabant Arabes.

Dum vero explicabamus (vestes) novas et tritas, protrahebamusque pingue et macrum, venit ad nos senex, cujus jam abierat forma et color, residua erat scientia et experientia, et simulavit se spectatorem et auditorem, qui colligeret, quod nos spargeremus; excussis vero crumenis nostris et manifesta desperatione, cum videret fontes defecisse, et nihil producere superne haurientem, et in fundo putei versantem, colligens syrma et occiput nobis advertens, dixit: non omne nigrum est dactylus, nec omne rubicundum est vinum. Et adhaesimus ei ut lacerta ramis, prohibuimusque cingentes a tractu, in quem tendebat, regerentes: medicamentum scissi est, ut consuatur, si non — vindictam! vindictam! nec in animum inducas tuum, conviciis vulnerare et amplam facere rupturam, tum abire. Flexit ergo habenam rediens, tum loco suo decubuit firmiter et dixit. Quod si me excitatis disputatione, judicabo ut judicavit Salomo de sato⁶⁾. Sciatis velim, praediti ingenio liberali et vino aureo: si proponuntur aenigmata verbalia, ut examinentur ingenia et eliciantur abstrusa, recondita, horum lex est, ut sint vocabula vere similia, significantia, eruditasque continentia elegantias; quod vero excedit hunc ordinem, aequiparandum fructui deciduo, nec inditur canistro; et jam vidi vos non servasse hos fines, nec distinxisse verum a falso. Diximus: veritatem locutus es; admetire ergo nobis de similia tua undasque tuas in nos redundare sinas. Reposuit: faciam, ne dubitent fidem abrogantes, nec cogitent de me quaslibet cogitationes. Tum accedens ad virum prae ceteris spectabilem inquit:

O tu, qui maximo es acumine, in solvendo⁷⁾ rem acu tangens⁸⁾!

Quid respondet meae enuntiationi: Gua (Umidda) Bisād, fami (succurritur) commeatu?

(Solutio: Tawa i. q. Gua, et Mir i. q. Sād; utrumque conjunctum efficit Tawamir, volumina scriptoria.)

Secundum arridens cecinit:

O tu, qui virtute praecellit, nec maculatur ignominia!

Quid simile dicto aenigmata proponentis: Sahron (Azabat-hu) Ainon, tergum (quod feriit) malus adpectus?

(Sol. Mata i. q. Sahr, et Ain i. q. Ain; utrumque conjunctum Mataain, qui confodiunt.)

⁶⁾ Israelitae cujusdam oves alius satum noctu depastae erant; qui cum accessisset conquerens ad Davidem, hic judicavit, ovium gregem ei esse dandum, ei ut satisfaceret. Rectius vero Salomo, qui, undecim annorum puer, forte aderat, statuit: gregem quidem tradendum ei, cui factum sit detrimentum, ut pullos ejus et lac sibi vindicet, campum vero illi, cujus oves detrimentum fecerint, ut eum ipse conserat proximoque anno consitum reddat, gregem suum recipiens. ⁷⁾ Secundum ed. Sac.: in virtute; sed praeplicet legere fazl. ⁸⁾ Proprie: accendens igniarium, vel, fomes igniaril.

Tum tertium adspexit dicere ordiens:

O tu, cujus ingenii partus similes sunt nummis probatis!

Quid simile, si cui diceret: Zādafa Gāiset, invenit donum?

(Sol. *Alfa i. q. Zādafa, Zālet i. q. Gāiset; utrumque conjunctum Alfasālet, sphaerula media monilis, vel, quod dirimit duos Korani versus.*)

Tum collum flexit ad quartum inquires:

O tu, qui elicis absconditum aenigmatum arcanorumque animi conceptuum!

Age, explica mihi, quid simile dicto: Tanawal Alf Dinār, accipe mille denarios?

(Sol. *Hā i. q. Tanawal, et Dijet i. q. Alf Dindr; utrumque conjunctum Hadijet, dux, collum.*)

Tum obtutum suum defixit in quintum et dixit:

O tu ardens ingenio, frater acuminis conspicui!

Quid respondet dicto: Ahmala Hiljet, missum fecit ornatum? Explica, recta incedens via, et festina.

(Sol. *Arha i. q. Ahmala, et Schijet i. q. Hiljet; utrumque conjunctum Arhāsachijet, tegmentum ephippii, vel, dies judicii.*)

Tum conversus ad latus sexti dixit:

O tu, cujus metae adtingendae certantis passus impares sunt debilesque!

Quid simile dicto aenigma proponentis: Ucfuf! Ucfuf! abstine! abstine!?

(Sol. *Mah Mah i. q. Ucfuf Ucfuf; utrumque conjunctum Mahmah, desertum longe lateque patens.*)

Tum supercilio nictavit septimo dicens:

O tu, cujus clare patet intellectus et eminens est acuminis gradus!

Elucida, qui nunquam diserte explanandi facultate non gaudeas, quid simile dicto:

Alsachik Aflata, frater aufugit?

(Sol. *Alach i. q. Alsachik, Tāra i. q. Aflata; utrumque conjunctum, Alachtār, pericula.*)

Tum octavum audire jussit, dicens:

O tu, cujus virtutis horti humectatos rore habent flores, nitentes!

Quid simile, si diceret aenigmata proponenti: aenigmatum possessor⁹⁾ Ma Achtāra Fidhdhet, non prae habuit argentum?

(Sol. *Abd i. q. Ma Achtāra, et Riket i. q. Fidhdhet; utrumque conjunctum Abdriket, quaelibet res albo nigroque distincta, gladii valde splendentes, gutturnia.*)

⁹⁾ Vel: ingenii possessor, ingeniosus.

Nonum deinceps acuto obtutu petivit dicens:

O tu, in quem digitos intendunt ob animum ingenuum et excellentem scientiam!
Expedi nobis, quid simile dicto tuo proposita quaestione contententi: Dus Gamdet,
calca turbam?

(Sol. *Td i. q. Dus, et Fjct i. q. Gamdet; utrumque conj. Tdfjct, quod aquae innatat, uva.*)

Perrexit referens. Et cum venisset ad me, concussit humeros meos et dixit:

O tu, qui tenes dictiones implicitas, quibus angis adversarios et confodis!
Facundus es explicator; profer igitur simile dicti: Chali Uskut, avuncule mi tace!
(Sol. *Chali i. q. Chali, et Zah i. q. Uskut; u. c. Chalisah, sincera amicitia.*)

His effatis adjecit. Jam ego sitim vestram restinxi, vosque pavi¹⁰⁾. Si vero vultis, altera vice vobis potum praebebo. Dixit; et cepit nos vehementia sitis, ita ut peteremus, denuo nobis bibendum daret. Respondit: ego non sum, qui, se prae habens fratri, sibi soli vindicat, nec ut ille, qui nonnisi in cute pinguedinem habet¹¹⁾. Rediens ergo ad primum inquit:

O tu, cujus, cum obscura videtur abstrusa sententia, solvunt subtiles cogitationes!
Si quando aenigmata proponens dicit: Chud Tilk, teneas hanc; quid huic dicto revera simile?

(Sol. *Ha i. q. Chud, et Tlk i. q. tilk; u. c. Hdtk, teneas hanc.*)

Dein conversus collo ad secundum:

O tu, cujus facundia praestantiam declarat!
Quid simile proverbio: Himar Vahsch Suijina, onager ornatus*)?

(Sol. *Ferd i. q. Himar Vahsch, et Sina i. q. Suijina; u. c. Fcrasin, pl. vocis Firam, regina in latronum ludo.*)

Tum oculi nictu innuit tertio, dicens:

O tu, qui es virtute et ingenio ut Azmaï!
Quid simile esset dicto tuo aenigmatibus certanti: Anfik! Takma! eroga, repelles!?
(Sol. *Mun i. q. Anfik, et Takim i. q. Takma; u. c. Muntakim, ulciscens.*)

¹⁰⁾ Vel: moram vobis concessi. ¹¹⁾ D. S. Scholl.: cujus pinguedo est in ipsius cibo, vel, qui a vase suo retinet pinguedinem. Mihi dicere voluisse videtur: doctrina mea est profunda, copiosa. *) Rhythmi finales in nonnullis libris sunt mugallijâ et hallijâ.

Porro quartum apertis oculis intuens:

O tu, qui, quando difficile carmen obscurum est, tenebras illustrat!

Quid simile dicto: Istanschi Rih Mudamet, odorare vini odorem?

(Sol. *Rah* i. q. *Istanschi Rih*, et *Rah* i. q. *Mudamet*; u. c. *Rahrah*, *ample res*, *ample bonis vita*.)

Tum furtim adspexit ¹³⁾ quintum et dixit:

O tu, cujus procul abest mens, ut ad sollicitè cogitandum lenteque respondendum adigatur, aut ad haesitationem adducatur!

Quid simile dicto: Rhatti Halka, tege perditos!?

(Sol. *Zun* i. q. *Rhatti*, et *Bur*, pl. vocis *Bâir*, i. q. *Halka*; u. c. *Zunbur*, *palma solitaria*, *calamitas*.)

Nec non conversus ad sextum dixit:

O frater intellectus, in quo tua dubium omne superat perfectio!

Noctu quis pauxillum profectus est, Sâra Billail Muddet, quid huic dicto simile?

(Sol. *Sard* i. q. *Sâra*, et *Hin* i. q. *Muddet*; u. c. *Sarahin*, plur. vocis *Sirhan*, idiom. *Hudeil*, *lupus*.)

Dein convertit oculos ad septimum, dicens:

O tu, qui ornatus es intellectu, qui suum inter homines stabilivit mercatum!

Tibi est elucidandi facultas; quid ergo simile dicto: Ahbib Farukah, ama pavorem?

(Sol. *Mik* i. q. *Ahbib*, et *La*, *pavor*, i. q. *Faruka*; u. c. *Mâlah*, *funda*.)

Octavum versus se convertit dicens:

O tu, cujus virtus ad cacumen pervenit, omnia superans cacumina!

Quid simile dicto: Aathi Ibrikan laluh Brhair Urvet, da splendens gutturnium sine ansa!?

(Sol. *Uss* i. q. *Aathi*, et *Cub* i. q. *Ibrik* etc., u. c. *Uskub*, *occearius*, *effusa fluensque aqua*, etc.)

Jam leviter arrisit nono dicens:

O tu, qui amplecteris optimam scientiam, et elucidandi facultatem nullum relinquentem dubium!

Quid, si aenigmatibus tecum concertanti, prudenti, diceres: Althaur Milki, hoc est possessio mea, huic dicto esset simile?

(Sol. *Allad* i. q. *Thaur*, et *Li* i. q. *Milki*; u. c. *Allâli*, *uniones*.)

¹³⁾ D. S. Scholl.: arrisit.

Postremo volae contractione apprehendit manicam meam inquiens:

O tu, qui fulgore intellectus tui in dubiis et sideris tui luce excelsus es!

Quid est simile sibilo labii, Zafir Gahfalatin? Explica hoc perfecte explicans!

(Sol. Moka i. q. Zafir, et Schafet i. q. Gahflet; u. c. Mokaschjet, detectio.)

Perrexit referens. Et cum nos exhilaravisset eo, quod audiveramus, et cupe-
remus expositionem, diximus ei: non sumus ex equis hujus hippodromi, nec manus
sunt nobis ad solvendo hos nodos; quod si tu explicaveris, gratum nobis feceris,
si vero celaris, moerore affeceris. Hic substitit paullum, binas suas voluntates
consulens, sagittasque suas binas versans, usque dum ei placuerat dare, quod pe-
tiveramus. Mox ad coetum accessit sic faciens verba. Docebo vos, quod nescivistis
nec cogitastis, vos edoctum iri; jam igitur vestris illigate memoriis et exornate his
floribus prata vestra! Interpretationem aggressus rubiginem ingeniis nostris detraxit,
simulque evacuavit manicas, ita ut intellectus sole clariores evaderent, manicae
vero fierent, quasi heri non fuissent habitatae. Cum autem fugam pararet et de
mansione ejus quaereretur, suspiria trahens ut liberis orbatus, haec effatus est.

Omnis pagus mihi est patria et ampla in eo mansio;

Nisi quod cor Sarugi amore flagrat, ejusque desiderio teneor.

Haec est terra mea virgo, hic aether, unde flavi¹³⁾.

Ejus prati herbosi desiderio, prae omnibus aliis, gemo;

Non suave post hoc mihi suave, nec dulce dulce est.

Perrexit Haret Hammamita. Dixi sociis meis: ille est Abu Seid Sarugensis,
cujus dictorum elegantium pars sequior aenigmata sunt; et incepti eis describere
pulchritudinem ornatae ejus eloquentiae, quamque obsequentem habeat linguam.
Tum me converti et en! jam ille abierat et cum lucro suo evaserat. Mirati ergo
sumus de facto ejus, nescii quo terrarum tetenderit, ceciderit.

¹³⁾ I. e. ortus sum.

Z a ä d e n s i s.

Narravit Haret Hammamita. Procerus ut hasta et agilitate praevertens onagros¹⁾ ascendi Zaädam; cujus cum adspicerem pulchritudinem et spectarem viriditatem, interrogavi gnarures narratores, quem illa includat e nobilibus et fodinis bonorum? eum ut sumerem prunam lucentem in tenebris et auxilium in oppressionibus. Et describebatur mihi iudex amplius ulnam, abundans statum, Taimita²⁾ genus et indolem. Nec desinebam visitatione ei appropinquare, et erogare in eum cumulando³⁾, usque dum echo vocis ejus et Salmân⁴⁾ eram domus; et eximens mel ejus odoransque laurum, nunquam non interfui disceptatorum litibus, defensum et vituperatum conciliare studens. Cum autem aliquando iudex sederet ad iudicium exercendum, die conventus et congregationis, intravit senex tritus plumas⁵⁾, tremorem simulans, qui concilium adspiciens adspectu egregie videntis narrabat, adversarium sibi esse, qui non sponte secutus sit. Et haud diutius erat quam scintilla, aut indicium nutus, cum in modum leonis juvenis adduceretur et, Deus, diceret ille, corroboret et a conniventia custodiat iudicem! Iste filius meus, calamus corruptus, gladius rubiginosus, ignorans praecepta aequitatis, sugit papillas repugnantiae. Nam quando equidem progressus sum, restitit, quando arabice locutus, barbare ille garriit, quando ignem accendi, extinxit, quando assavi, cineribus inquinavit; quamvis ex eo inde, quo repsit, tempore, usque dum adolevit, curam ejus sustinui et benignissimus educatorum et aliorum fui. Iudex grave id habuit,

¹⁾ Vel: puellas Zaädas, ob venustatem claras. Zaäda autem urbs Jemanae perhibetur magna, sexaginta parasangas a Zanaa remota. ²⁾ Taim fuit matruus Nadhari, auctoris Koroischitarum. Praeterea vere posteri ejus etiam ob fortitudinem et prudentiam magna gavisi sunt gloria. ³⁾ D. S. Scholl.: et instar distractae mercis ei esse, quietem ei concedendo, i. e. non visitando; quae interpretatio est artificiosior. ⁴⁾ Primus Persarum, qui Mohammedis religioni se addixit, eique tam carus, ut diceret, paradisum majore Salmâi, quam Salmanum paradisi desiderio teneri. ⁵⁾ I. e. vestem.

quod ille questus erat, et omnes, qui circumsedebant, inauditum existimarunt; tum ille ita incepit. Testor repugnantiam ex orbitatibus unam esse, imo saepius oculo frigidius esse⁶⁾, prolem omnino non habere! Regessit adolescens, quem hic sermo ira affecerat: Per illum, qui constituit iudices ad justitiam exercendam, et illis tradidit habenas probitatis et decisionis! nunquam ille vocavit, quin dixerim Amen, et praetendit quid, quin crediderim, nec peregrinationi se dedit unquam, quin et ego Naziraeatum susceperim, nec ignem protudit, quin accenderim; nisi quod comparandus est viro quaerenti Rachamarun⁷⁾ ova aut volatum a camelis flagitanti. Resumsit iudex: quam re difficultatem tibi fecit et probavit tuam obedientiam? Contra ille: Ex quo tempore vacuus fuit pecuniae et tentatus est inopia, imposuit mihi, ut linguam petendo exercerem⁸⁾, et pluviam deprecarer ex nubibus gratiae; ut redundaret potus ejus, qui subsederat, et coalesceret, quod fractum erat in statu ejus. At cum me edocere inciperet et virtutes animam decentes mihi exponeret, cor meum intelligere fecit, aviditatem esse rem laboriosam, exosi quid cupiditatem, gulositatem movere nauseam, mendicari esse abjectionem animi; tum recitavit mihi e scissura oris sui et ex arte rhythmorum suorum:

Contentus sis infima sorte, et in ea acquiescas ut ille, penes quem et paucillum est multum.

Abstineas ab aviditate, quae non desinit humiliare dignitatem ejus, qui ad ipsam ascendit. Existimationem tuam custodi, eamque defende, ut leo defendit jubas suas.

Et patiens sis, si quid ingruit egestatis, ut solent constantes, animoque aequo⁹⁾.

Nec funde aquam pudoris, etiamsi dives daret, quantum ambae manus continent.

Generosus est qui, cum affectus est oculus ejus, palpebras laesas tegit a pupillis suis¹⁰⁾;

Et qui, cum trita sit vestis ejus serica, non consultum habet terere etiam genas.

Dixit; at austere contraxit vultum senex, tetricus; et irruens in filium cum detestatione, increpavit ita. Tace, o inobsequens! qui me praefocas et angis, instar ossis guttur praeccludentis. Vae tibi! matremne tuam docere vis concubitus, aut nutricem tuam lactatum? Jam conflictatur scorpio cum vipera, et pulli vix depulsi intento cursu versus admissarios prosiliunt¹¹⁾. Dein, quasi eum poeniteret eorum,

⁶⁾ I. e. jucundius. ⁷⁾ Anuk est aquila vel osifraga mae, qui ova non parit. Alii proverbium hinc ortum putant, quod hoc avium genus ova sua in altissimorum montium cacuminibus condet. ⁸⁾ D. S. Scholl.: ut mendicationem gustarem. ⁹⁾ A. v. et oculos connive super eo. ¹⁰⁾ A. v. a duobus videntibus suis. ¹¹⁾ D. S. Scholl.: adversus pullos pustulis Kara dictis laborantes. Proverbium, quo taxentur, qui cum eis colloqui audent, coram quibus loqui non debent.

quae ex ore suo nimis celeriter elapsa essent, et amore ad reconciliationem adigeretur, aspiciebat oculo propenso, submittebatque alam blandientem ¹²⁾, pergens: Vae tibi, o mi fili! non jussi sunt contenti esse, nec interdicti sunt submissione, nisi qui divitiis suis quaestum faciunt et arte sua lucrantur; verum qui necessitatibus sunt pressi, illi excepti sunt in his legibus prohibitoriis ¹³⁾; pone autem, te ignorasse hanc accuratorem explicationem, nec pervenisse ad te quod circumferri solet, nonne tu tamen es, qui adversatus est patri suo, in iis, quae dixit, eumque non respexit ¹⁴⁾?:

Ne acquiescas in oppressione et injuria, quo dicatur eni magnanimus et patiens.

Et probe circumspicias, utrum terra sit vacua plantarum ut cincta arboribus.

Vultumque averte ab eo, quod tibi suadere volunt imprudentes; quod pretium arbori sine fructu?

Propelle jumentum tuum a mansione, quā siti laboras, in oram, ubi defluit pluvia.

Atque largam tibi expete irrigationem ex copia nubis; et si ambo manus tuae adsparguntur, proficiat tibi consecutio!

Quod si non obtines, in repulsa non est dedecus, quam jam ante te tulerunt Moses et Pinehas.

Finivit. Judex vero, cum animadverteret sermonem et facta juvenis sibi repugnare, et quod se exornarit laude sibi non conveniente, succensente oculo eum adspexit, an prima, dicens, vice Taimita et altera Kaisita ¹⁵⁾? phui! qui destruit quod dixit, et varios induit colores, instar daemonis sylvatici, hominibus et brutis inimici ¹⁶⁾. Regessit juvenis: Per illum, qui te posuit clavem veritatis et arbitrum creatorum! ibi demum dedoctus sum, cum sollicitudines me invaserunt, et ex eo intellectus meus rubiginem contraxit, quo sitivi. Ubi enim est porta aperta, ubi dona facile acquirenda? Num superest, qui lubenter dona offerat et, cum cibus ab eo petitur, dicat, teneas!? Respondit judex: Inter multas aberrantes a scopo sagittas una tamen solet ferire, nec omnis nubes fulgurans decipit; discerne nubes, quando observas, nec testare nisi quod exploratum habes. Senex cum videret judicem irasci pro liberalibus, et aegre ferre omnes homines avaritiae insimulari, scivit illum verba sua esse confirmaturum, ipsumque liberaliter tractaturum;

¹²⁾ Lenem se simulabat. ¹³⁾ Proprie: in vetitis. ¹⁴⁾ Var. lect. in edit. Percivalensi. ¹⁵⁾ Kaisitae, oriundi a Kaiso, filio Aljasi, semper bella gerabant cum Taimitis, dicebanturque optimi equites, sed homines avari. ¹⁶⁾ Rhauli.

ideo non cessavit ponere rete suum, et ad ignem pisces suos torrere ¹⁷⁾, sed ita illum allocutus est:

O iudex! cujus sapientia et clementia firmior est quam Radhwa ¹⁸⁾.

Nunc ille in ignorantia sua contendit, toto in mundo non esse fratrem pluviae largae ¹⁹⁾.

Nescit enim te esse ex societate, quorum dona (tam larga), quam manna et coturnices.

Largire ergo, quod eum depellat, pudore suffusum, ob mendacium asserti sui,

Ut et ego redeam laetus, laudans quod me, cum beneficio affeceris, tum juveris!

Dixit; et sermone delectatus iudex ei abunde ex divitiis suis impertiebatur; quo facto conversus ad juvenem, vituperii sagittas ei armavit, vidisti, inquires, vanitatem opinionationis tuae, et errorem suspicionis? Ne igitur posthac festina vituperando, nec dola lignum antequam probasti; et cave, ne recuses obsequium patri tuo; nam si iterum morem non geres, descendet in te, quo dignus fueris. His dictis juvenem poenituit et confugit ad succinctorium patris sui, tum surrexit properanterque abivit; senex quoque secutus est canens:

Quem fortuna injuria aut noxa affecit, adeat iudicem Zaädae!

Liberalitas ejus detrectat laudibus antecessorum, aequae ac defatigabit posteros.

Addidit historiam referens: Ambigui, habeamne senem illum pro noto, an pro ignoto; usque dum aggrediebatur iter suum; ibi clanculum induxi animum, ut eum sequerer, vel usque ad domicilium, eo fine, ut perspicerem arcana ejus et cognoscerem, quae sit arbor ignis ejus. Abiectis ergo protinus negotiis, tetendi, quo ille tetendit; nec ille desivit progredi, me pone sequentē, et longius discedere, me appropinquante, donec uterque nostrum alterum conspiciebat, et ambobus amicis certa erat agnitio. Hic ille laetitiam prodidit et deposuit tremorem, dicens: qui mendacia obtrudit fratri suo, ne sit salvus! Tum non amplius dubitavi, illum esse Sarugensem, nec enim ulla erat habitus mutatio. Proinde festinavi ad eum, ut manu prehensa salutarem, et quaererem, quid boni aut mali acciderit. Ille vero: en filium fratris tui obsequentem ²⁰⁾! Et continuo dereliquit me propripiens sese. Juvenis autem tantum risit, dein aufugit ut ille aufugerat. At ego redii, eos ipsos postquam cognoveram, nescius licet ubi uterque versaretur ²¹⁾.

¹⁷⁾ Intellige: opportunum. Non bene D. S. Scholl.: fluxit hoc proverbium inde, quod fures conspecto igne accederent ad furandum, detecti autem dicerent: pisces nostros assare volumus. ¹⁸⁾ Radhwa non est mons in Medinah, ut D. S. Scholl. docent, sed ab oriente urbis Jambiae, suntque inter eum et Medinam septem stationes. Vid. Abulfed. Arab. Descript. ed. Rommel p. 63. ¹⁹⁾ Vel: liberalitatis, doni.

²⁰⁾ Vel: bonum. Dicere vult, non verum est, quod de inobedientia filii mei protuli coram iudice.

²¹⁾ Verti sec. var. lect. ed. Percival. Secundum Sacyanam reddendum: ubi vero locorum illi?!

T a n i t i c u s .

Narravit Haret Hammamita. Alacritate juventutis meae morem gessi affectibus amoris ¹⁾, nec desii confabulari cum mollibus cervicem, et aures praebere suaviter modulantibus ²⁾. Tandem vero, adveniente monitore et aufugiente florida aetate, magno latus sum appetitu ad rectam et consideratam vitam, poenituitque me eorum, quae deliqueram contra deum. Incepi igitur malos mores benefactis luere et caespitationes corrigere, antequam excederem e vita; ac transii a matutina visitatione tenellarum foeminarum ad conversationem cum probis, et a conventionem cum fidicinis ad frequentandos pietatis studiosos, juravique, me non futurum socium alii, quam recedenti ab errore, cujusque animus solutus ³⁾ rediisset in plicam; quod si inveniebam effrenatum, diuque dormientem, removebam domum meam a domo ejus, fugiebamque a scabie ejus et infamia. Cum autem peregrinatio me projecisset Tanim ⁴⁾, induxissetque synagogam ejus laetificam, vidi in ea circumdatum hominum circulo conferto, spectatoribusque arcte consertis, declamantem firmo pectore et voce clara: Miser est filius Adami, et quam miser! Nititur in mundo nullo firmo fulcimento, apprehendit sustentacula fallentia, mactaturque amore ejus sine cultro. Occupatus est ea, ut negligat se; inhiat ei ad miseriam suam; acquirere studet, quo possit gloriari, nec comparat ab ea commeatum mundo futuro. Juro per eum, qui libere dimisit maria, splendere fecit lunam, extulitque dignitatem duorum lapidum! si homo intelligeret, certe non consideret in symposiis, et si reputaret facinora perpetrata, sanguinem fleret; si reminisceretur retributionem, quod omisit ⁵⁾ assequi studeret, et si perpenderet reditum ad

¹⁾ Vel: stimulis ad pueriliter ludendum. ²⁾ Proprie: suavis cantibus. ³⁾ D. S. Scholl.: cujus peccatorum rationarium. ⁴⁾ Tania, arab. Tinnis, urbs et insula est inferioris Aegypti. ⁵⁾ Proprie: praeteriit, fugit. Annequi hic notat corrigere delicta.

deum, facinoribus malis bona substitueret. O miraculum miraculorum, qui se praecipitem dat in gehennam colligendo aurum, et reponit opes cognatis! Et o transcendens maxime mira mirum, quod te monet tinctura canities, et sol tuus nuntiat occasum, necdum permoveris ad poenitentiam et vitiorum emendationem! Tum progressus est ad recitandum, modo in rectam viam ducentium.

Vae illi, quem sua monet canities, et celer est in erroribus juventutis⁶⁾,
 Caecus currit in cupiditatis ignem, postquam debilitate jam tremere incepit,
 Et inequitat ludo, eumque aestimat mollissimum, quod straverit strator;
 Non reveretur canitiem, cujus astra prudens non videt sine conturbatione,
 Nec se cohibet ab eo, quod interdicit prudentia, nec curat famam⁷⁾ laniari!
 Ille si moritur, eheu sit procul! si vivit, similis est non viventi.
 Nil boni in vita hominis, cujus odor⁸⁾ ut mortui, post decem dies effossi.
 Euge vero, cujus fama bona pulchre splendet, ut vestis acupicta!
 Dic ei, quem peccatum suum vulnerat: periisti o miser, nisi spinam extrahis,
 Et sinceram age poenitentiam, extirpaque, quod peccatorum aigrorum infixum est⁹⁾;
 Conversare cum hominibus bene moratus, benigneque tracta levem mente et constantem;
 Pluma alam generosi, si fortuna eum vulsit; ne vivat, qui non plumet!
 Auxiliare afflicto injuria et, si non potes adjuvare, fac alios ad adjuvandum exhorteris;
 Erige, si quis te advocat, qui cecidit; forsitan illo die resurrectionis sustentaberis;
 Et cape poculum admonitionis, bibeque, ac liberaliter propina redundans illi, qui sitit!

Dixit; et cum finiisset sermonem ad lacrimas commoventem, recitassetque versus, surrexit juvenis jam robustior nudavitque corpus inquiens: O intellectu praediti, jam audivistis admonitiones recitatas, percepistisque doctrinam ad viam rectam ducentem! Qui eam accipere futurumque tempus sibi prosperare vult, is mihi benefaciendo manifestet studium suum, nec deflectat a me donis suis! Per secreta scientem omnia et condonantem perseverantiam in peccatis! secretum meum est, quod videtis, quamvis vultus meus postulat, ut recondam¹⁰⁾. Adjuvate me ergo, quibus detur auxilium! Dixit; et senex sermones habuit corda hominum juveni propensa facientes, facilitavitque petiti assecutionem, donec scaturivit fons ejus, nudumque desertum luxuriavit herba. Cum autem impleta esset crumena, abiit, jactanter incedens, laudavitque Tanim. Seni quoque non placuit ultra ma-

⁶⁾ Vel: juvenilis amoris. ⁷⁾ D. S. Scholl.: animam. ⁸⁾ I. e. fama. ⁹⁾ D. S. Scholl.: scriptum est, scil. in libro judicii. ¹⁰⁾ D. S. Scholl.: ut conservetur aqua faciei (pudor) a vobis.

nere, postquam discesserat juvenis, sustulitque manus ad precationem, tum se convertit ad abitum. Perrexit referens: Et correptus desiderio eum explorandi solvendique ejus arcanum, secutus sum currentem recta via, nec rumpentem velum silentii firmiter consutum. Cum vero, securus ab inopinato irruente, copiam mussitandi consecutus esset, inflexo ad me collo suo, salutansque salute humanitatis, dixit: complacuitne tibi acumen hujus adolescentuli? Respondi: per fidum et tutantem deum! Perrexit: ille est puer Sarugensis senis, instrumentum producendi margaritas e profundo maris ¹¹⁾. Regessi: juro, te esse arborem fructus et flammam scintillae ejus! Quam conjecturam affirmans sagacitatemque laudans interrogavit: placetne tibi ad domum aliquam properare, ibique una poculum rufi vini bibere? Hic dixi: vae tibi! homines pios esse jubetis et obliviscimini animas vestras? At diduxit os, ut diducere solet ridens, transiitque haud litigans. Tum ei visum ad me redire, meque allocutus est: serva haec a me et occulta:

Pelle moerorem mero vino, tranquillaque pectus, nec excruciare aerumnis!

Te reprehendenti vero ob id, quo abigis curas, dic: sufficiat tibi! pudore suffundor ¹²⁾.

Tum adjecit: equidem nunc abibo, ubi haurire possim potum matutinum et vespertinum. Quod si societatem inire non vis, sed reprehendis eum, qui boni est animi, tu mihi non es comes, nec tua via mea est. Fac igitur me missum et devita, nec perscrutare de me, nec sciscitare. Hinc se convertit ad fugam, nec respexit. Dixit Haret Hammamita: ego vero flagrabam moerore ad discessum ejus, cupiebamque, ei ne occurrissem. —

¹¹⁾ De Sacyo praecipit vertere ut juramentum: per producentem margaritas e profundo maris! Contextui tamen magis convenit, ni fallor, interpretatio supra recepta, nitens variante lectione, quae machrag exhibet pro mochrig. ¹²⁾ Vel: irascor. Cfr. Giggejum.

Cervimontii exaudat C. G. L. Krahn.
